R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
DI FIRENZE

OPERE BIBLIOGRAFICHE E BIOGRAFICHE
RACCOLTE DAL
DOTT. DIOMEDE BONAMICI
di Livorno (1823-1912)

Novembre 1921.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VITAE ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT.

VOLUMEN XV.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE CURATORE.

D. Alexandri Belli Abbatis Capinensis an. 1864.

PISIS MDCCLXXXXII.

APUD CAJETANUM MUGNAINIUM

Superioribus Annuentibus.

Digitized by Google

)(III.)(

MAXIMILIANO CELSISSIMO

AC SERENISSIMO

SAXONIAE PRINCIPI

ANGELUS FABRONIUS

VOta facturus pro felicitate nuptiarum Tuarum, CELSISSIME AC SERENISSIME PRINCEPS, novi libelli Tibi donum offero, qui testis erit non modo mei erga Te obsequentissi-

Digitized by Google

mi animi, sed etiam singularis desiderii, quo teneor, ut per Te, perque eos, qui à Te nascentur, res publica, litterae, nobilioresque artes, qua laude semper floruit Albertinorum Saxonica domus, dignitatis suae splendorem obtineant.

VITAE ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT.

ANGELUS FABRONIUS

JOANNI ANDRESIO SUO.

S. P. D.

B*Ene ſane de litteris meritos eſſe Boccaccium & Petrarcham exiſtimare debemus, qui ſummo ſtudio, ſummaque diligentia conſecuti ſunt, ut ex ſe homines diſcerent, qua ratione & ſoluta, & carminibus vincta oratio ornatum & dignitatem habere poſſet. Quanquam hos non multis annis ante praeceſſerit Dantes, quem conſtat non ſolum doctrina, ſed etiam poeſi praeſtitiſſe, attamen quae tum, multoque magis ante illius aetatem litteris & monumentis mandabatur oratio, tantum a per-*

fectione elegantiae aberat, ut vix hujus generis ſtudium agnoſceretur. Illi, quos nominavi, inflexere orationem, & eam mollem teneramque reddiderunt, adhibueruntque doctrinam, quae antea nulla fuerat, dicendi. Quod ad locutionem emendatam & plane Etruſcam pertinet, non tam id fuit rationis & ſcientiae, quam bonae conſuetudinis. Aetatis enim illius fuit iſta laus, tanquam innocentiae, ſic bene Etruſce loquendi, & tum primum intellectum, etiam in ſoluta oratione, dum verſum effugeres, modum tamen & numerum quemdam oportere ſervari. Porro nihil dulcius fieri poſſe videtur illius aetatis, quae ad nos pervenerunt, ſcriptis, in quibus omnibus ineſt naturalis, minimeque fucatus nitor, apta verborum circumſcriptio, quae plerumque cadunt numeroſe, pura & illuſtris brevitas, quae etiamſi non habeat ſententiarum ornamenta, ordinem tamen habet, & illam verborum elegantiam, quae videtur ſenſa animi, tanquam tabulas bene & ſempliciter pictas bono in lumine collocare. Mirum ſane videri omnibus debet brevi degeneraſſe hoc bonum vitio depravatae conſuetudinis.

Fluctuans enim & diſſolutum ſaeculo XV. invectum eſt orationis genus, quod cum ſine nervis & articulis eſſet, non poterat ſe ſe viriliter expedire; ſaepe aberant pura & electa verba, & illorum conſtructio aequaliter perpolita, & numeroſa; res compoſitae erant negligenter; nullus flos, neque lumen ullum ſententiarum; ita denique exilia omnia atque exanguia, ut nullius ſcriptum (Politianum & perpaucos alios excipio, quos aequus ita amavit Jupiter, ut ſui ſaeculi vitia & noſcerent, & feliciter declinarent) extat quidem dignum lectione. Vidit haec & improbavit ſequens aetas, eaque cum proponeret omnibus ad imitandum vetera exemplaria, magnam quidem effudit copiam optimorum ſcriptorum, qui ſive Etruſca, ſive Latina, ſive numeris ligata, ſive ſoluta oratione uterentur, incorrupta ſanitate fuerunt. De pleriſque tamen eorum facile judicaveris, non tam corporis habitus opimos, dum aliorum ſimiles eſſe nimium ſtuduerunt, quam gracilitates eſſe conſectatos, & tenuitate ipſa delectatos, dummodo valetudo bona eſſet. Manſit ille ſuccus & ſanguis incorruptus uſque ad illius ae-

tatis finem, quique poſtea consecuti ſunt ſcriptores, dum elaborarunt, ut vires & lacertos haberent, turpiter errantes in propinqua & finitima vitia devenerunt. Nam ut corporis bonam habitudinem tumor imitatur ſaepe, ita imperitis laude digna viſa eſt oratio, quae turget atque inflata eſt, & ſpecie magniloquentiae & gravitatis decepti, dum utebantur novis & priscis verbis, aut duriter aliunde translatis, aut gravioribus, quam res poſtulat, aut adhibebant longam bene ſonantium verborum continuationem, quaerebantque ex ſuperlationibus, ſimilitudinibus, allegoriis, metaphoris, aliiſque hujuſmodi figuris longe petitis materiem ad ornatum, minime perſpiciebant orationis tumorem. Nemo profecto ſatis laudare poterit Paullum Segnerium, cujus vita licet in haec infelicia tempora inciderit, non diligenter modo, quae erant in honore, vitia declinavit, ſed exemplum edidit qua ratione ornari, illuſtrarique oratio poſſet, cum expreſſerit omnia perspicue, eleganter, & appoſite, ut res prope manu tentari poſſe videantur. Cum autem eloquentiam illam excolendam ſuſcepiſſet, quae

a Deo data eſt ad ſalutem hominum & conſervationem, ſive virtutem commendaret, ſive vitia coargueret, ita dicebat, ut probaret, ut delectaret, ut flecteret. Multa arripuit, hauſit, expreſſit a Cicerone, imitatus eſt etiam Boccaccii venuſtatem, quos ſcriptores in ſinu geſtare videbatur, omninoque nihil praetermiſit, ut cum verbis ad audiendum jucundis, & ſententiis ad probandum accommodatis uteretur, non ſolum omnibus detractis vitiis orator, quod iis temporibus magnum ſane fuiſſet, ſed omni laude cumulatus eſſe judicaretur. Quanquam illius virtutes omnibus notiſſimae ſint, ut tamen ſatisfaciam iis, qui ejusdem gradus, & quaſi proceſſus dicendi cupiunt cognoſcere, ipſius vitam latinis litteris mandare decrevi, tibique, vir amiciſſime, nuncupare, qui cum ipſo inſtitutionem vitae communem habuiſti, & qui ab ipſo, quamvis in alienis longeque ab Italia diſſitis terris natus educatuſque fueris, praeſertim didiciſti quomodo Etruſce ſcribi debeat cum elegantia & munditia orationis, quae nec odioſa, nec exquiſita nimis ſit, & quae ſatisfaciat vel iis, qui in judicando moroſi & difficiles ſunt. Nunc enim

nec nimium acumen, nec nimiam elationem atque altitudinem orationis, quaſi de muſto ac lacu fervidae, patienter ferimus, laudamus illam, in qua ineſt naturalis non fucatus nitor, exornationes verborum aut ſententiarum, quae gravitatem & dignitatem non habent, tanquam hominum ineptias ac ſtultitias, iracunde reſpuimus, caſtigamus eos, qui conciſis ſententiis, nec ſatis apertis delectantur, non placet nobis comprehenſio & ambitus ille verborum (ſi ſic periodum appellari placet) qui ſit nimium contractus & brevis, nec ille qui plures & diſpares ſententias complectitur, & qui longa rerum & verborum continuatione audientis aures, & dicentis ſpiritum laedit, in quo ſaepius Boccaccius ipſe peccavit, demum eam elegantiam probamus, quae ab exquiſita quadam ratione & doctrina, & ab noſtrae ipſius linguae indole proficiſcitur, quae qui tenet, is teretes aures, intelligensque judicium habere dicitur. Si quid nunc dolendum putamus, illud eſt, quod in ipſam urbem, in qua nata eſt & alta elegantia dicendi, quae poſtea peragravit omnes fere Italiae regiones, ſe

ſe inſinuavit peregrinitas quaedam, ut multos minime pudeat ſcripta externis oblinire dicendi modis, perinde ac ſi omnis illa ſalubritas Etruſcae dictionis, quaſi ſanitas, amiſſa eſſet, aut exaruiſſet illius copia, ac loqui pene dedidiciſſent. Dicturo de Paullo Segnerio haec attigiſſe libuit de Etruſce ſcribendi elegantia, quod ipſe non unus e multis elegans ſcriptor habitus eſt, ſed prope inter multos ſingularis. Vale; quodque laudaveris quae de claris quibusdam viris Italice ſcripſi, quamvis amorem magis habuiſſe in conſilio videaris, quam judicium, me tibi tamen plurimum obſtrictum eſſe hac etiam de cauſſa puta. Quanto enim tibi videbor elegantior, tanto minus fortaſſe te poenitebit me ad amicitiam tuam adjunxiſſe. Iterum vale.

Piſis Kal. Jan. MDCCLXXXX.

Paullus Segnerius.

Paullus Segnerius Neptuni claro in Latii oppido natus eſt XII. Kal. Apriles an. MDCXXIV. patre Franciſco, matre Victoria Blanchia Romana, qui cum duodeviginti liberos uſque ſuſcepiſſent, horum natu maximus fuit ille, de quo ſcribendum ſuſcepimus. Nondum e pueritia exceſſerat, cum ductus eſt ad Jeſuitas, ut in Collegio Romano, quod ipſi regebant, inter nobiles alumnos litteris imbueretur. In his tantos proceſſus efficiebat, ut non excurrere, ſed evolare videretur, eratque omnibus innocentiae, modeſtiae, omniſque chriſtianae virtutis exemplum. Naturam habebat admirabilem ad dicendum, ſed praeceptores, a quibus inſtituebatur, errabant ipſi, & alios etiam errare cogebant. Nihilo tamen minus, ipſa natura ductus, inſulſitatem & inſolentiam, tanquam inſaniam quamdam orationis oderat, magnoque deſiderio tenebatur in aliquem ſa-

crorum oratorum numerum perveniendi. Haec inter Societati Jeſu nomen dare deliberavit, quod aegre a patre obtinuit, cui ſpes & jucunditas oſtendebatur augendi nobilitatem familiae per filium, in quo minime obſcura erat mirifica indoles virtutis, & ſingularis ingenii docilitas. Iis artibus variis atque multis, quibus inſtrui ſolebant Jeſuitae, qui famam praeſertim a doctrina quaerebant, ita fuit deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus eſſet. E Latina in Etruſcam linguam convertit integram Decadem rerum Belgicarum, quas hiſtoriae mandaverat Famianus Strada, interdum etiam Italicos fecit nobiliſſimos Ciceronis orationum locos, quod intelligebat & exercitatione & ſtilo formandam ſibi orationem eſſe. Illos vero Italicos ſcriptores, qui dicendi artis antiſtites eſſe putantur, ita legebat, ut quotidie magis ac magis ſentiret orationem ſuam illorum quaſi cantu colorari. Confecto ſtudiorum curriculo, Roma in Etruriam venit, ac Piſtorii grammaticam docuit. Ibi cum otio abundaret, haberetque inſtrumenta, quibus ſatis ornatus ad dicendum potuiſſet accedere, inſudare coepit in ſacris confi-

Digitized by Google

ciendis orationibus; quas non minus diligenter elaboratas & tanquam elucubratas afferre in publicum volebat, quam ſi typis eſſent mandandae. Improbavit enim ſemper illorum morem, qui ad ſacras conciones adire incipiunt, non ut docti in ſuggeſtus veniant, ſed ut in ſuggeſtibus diſcant, ſe ſeque exerceant. Cum ſine remiſſione, & vi ſumma ingenii & corporis in hac occupatione verſaretur, coepit affligari capitis morbis, ex quibus ſurdaſter eſt factus. Verum ajebat ipſe: *in ſurditate quidnam eſt mali? Sejungit nos ab hominum conſociatione, ut liberius Deo vacemus*. Cum haberet nullos ſacros Italicos oratores, quos imitaretur, homineſque illius aetatis in omni ſcriptionis genere a recta deerraviſſent via, nil niſi probantes, niſi quod turgidum & inflatum eſſet, id ſibi propoſuit, ut ceteris exemplo eſſet, & ſtultis mederetur. Hoc vero prudentiae fuit non mediocris, quod, ut teneret hominum coetus, ac mentes alliceret, dum removebat calamiſtros, adhiberet orationis genus grande, copioſum, ſplendidum, admirabile, ſenſus & dolores habens & conſperſum quaſi verborum ſententiarumque floribus. Paullatim

enim errantes homines quaſi domum deducendi erant, invitandique iis orationis virtutibus, quae non longiſſime ab imperitorum intelligentia ſenſuque disjunctae eſſent. Quapropter non ſevere agendum eſſe cum Segnerio putamus, ſi aliquando ſui ſaeculi cauſſa peccavit. Vix enim vitia apparent, ubi virtutes abundant, & ut in fidibus, ſi quis paullulum diſcrepet, id niſi a ſciente animadverti poteſt, ſic perpauca illa, quae vitioſe dicta a Segnerio videntur, ab iis ſolum improbabuntur, qui teretes aures, oculoſque acres & acutos habent. In eo vero quod pertinet ad elegantiam & munditiam orationis, cave putes illa quidquam fieri potuiſſe politius, urbanius & dulcius, quin illam ſanus quiſquam poſſit imitari. Nec modo Segnerius erat in verborum ſplendore elegans, ſed & in compoſitione aptus & numeroſus, & facultate copioſus, eaque erat cum ſummo ingenio, tum exercitationibus maximis conſecutus. Rem videbat acute, dividebat apte, nec praetermittebat fere quidquam, quod eſſet aut ad confirmandum, aut ad refellendum opportunum. In eo tamen peccavit, quod ex falſis, & vel inveriſimilibus

narrationibus, ex incertis philoſophorum dictis, & ex fictis fabulis interdum argumenta, atque ſimilitudines trahit, quaſi ſibi ad probandum, ad perſuadendum, ad commovendum non ſemper ſuppeterent copiae ex diviuis & Sanctorum Patrum libris, qui in nullius unquam oratoris poteſtate magis fuiſſe videntur. Quaerebat etiam Romanorum aliorumque populorum leges, omninoque nihil erat quod non traheret ad cauſſae ſuae commodum, et ad orationis ornatum. His locis omnibus, ſi parcius uſus fuiſſet, & argumenta exquiſita ſemper ratione, & ſacrorum ſcriptorum auctoritate confirmare, & ſuo illo more expolire ipſi libuiſſet, non Italicorum modo oratorum, in quo omnes conſentire videntur, ſed et exterarum nationum omnium facile princeps judicatus fuisset. Nemo ſane extitit, qui ſolute magis et facile, magiſque propriis verbis comprehenderet ſententiam, nemo in exponendis narrationibus elegantior, nemo locupletior ad amplificandum atque exornandum, ſive exornatio in ipſis rebus, ſive in ipſius orationis inſignita contineatur perpolitiore. nemo qui delectaret magis, nemo qui audientis animum (quod

unum eſt oratoris maxime proprium) quocumque res poſtularet, impelleret. Paucis dicam, nemo viſus eſt exquiſitius ſtuduiſſe litteris, quibus fons perfectae eloquentiae continetur. Quare minime eſt mirandum, ſi dum illuſtriores Italiae ſuggeſtus conſcendit, animos hominum ad ſe dicendi novitate convertit, admirationemque concitavit, quamvis nec in voce ſplendorem, nec in corporis motu venuſtatem haberet. Scripſit & aliquot Sanctorum panegyricas orationes, quae omnes licet laudem mereantur propter minime vulgare dicendi genus, & propter facilitatem amplificandi exornandique res, quae jejunae eſſe videbantur, non omnes tamen eamdem maturitatem (earum enim quasdam confecit, dum juvenis erat) habent. Haud injuria dixeris hoc eloquentiae genus conceſſum magis ſenectuti, quam adoleſcentiae eſſe. Deſiderat enim maturitatem aetatis, quae juvenilem quamdam dicendi impunitatem & licentiam reprimat, & quaſi extra ripas diffluentem coerceat. Adde, quod ſtudium crebrarum & exquiſitarum nimium ſententiarum aptum erat ſaeculo, quo has panegyricas orationes ſcribere incepit Segnerius.

Digitized by Google

Quia tamen vel in juvenilibus ingenii non mediocris forma lucebat, auctor illi fuit Sfortia Cardinalis Pallavicinius, quem in omni ſtudio, & in omni pene vitae actione ducem habuit, ut easdem in vulgus emitteret. Cum intueretur Pallavicinius in adoleſcentiam Segnerii per medias laudes quaſi quadrigis vehentem, affirmavit aliquando Summo Pontifici Alexandro VII. hunc fore ſacrae eloquentiae inſtauratorem, ac fere dolere videbatur ſe in vitam paullo ſerius ingreſſum eſſe, priuſquam videre poſſet confectum iter reliquum ab amantiſſimo diſcipulo, ac per eum tandem plane depulſam fuiſſe a ſuggeſtibus barbariem. Huic malo ut conſuleret Paullus, quamvis vitaverit ſemper ingenii atque oſtentationis ſuſpicionem, non dubitavit an. MDCLXXIX. in lucem emittere volumen orationum, quas eſurialibus feriis ad populum habuit, & Coſmo III. Magno Etruriae Duci, qui iisdem ſemel iterumque adſuerat, & a quo maximis beneficiis fuerat ornatus, nuncupare. Tum fuit regula, ad quam eorum dirigerentur orationes, qui vellent eleganter, ornate, & cum dignitate divinas exponere ſententias. Nec minus Segne-

rius excoluit illud eloquentiae genus, quae ad vulgarem popularemque ſenſum plane eſt accommodata. Cum enim flagraſſet ſemper deſiderio conſulendi ſaluti populorum, omnes prope Italiae urbes, oppida & vicos circumivit, in eo occupatus munere, quod Apoſtolorum miſſionem imitatur. Vix credi poteſt quantis & corporis laboribus, afflictationibus & cruciatibus, quantaque animi contentione totos XXVII. annos in hoc munere perſeveraverit, in quo, ſi dicam, mirabilis utilitatis fructum praebuiſſe omnibus, ad quos acceſſit, cum voce, tum exemplo, minus quam debeam praedicem. Omnino in poteſtate ejus eſſe videbatur delere ex hominum moribus, perverſaque diſciplina ac conſuetudine errores, vitia, ac peccata, revocareque omnes ad virtutis ſemitam. Etſi autem in his concionibus populariter loquabatur, nemo tamen erat vel eruditiſſimus, qui eum non libentiſſime audiret, admiraretur etiam, &, quod unice Segnerio erat propoſitum, ab iis melior non diſcederet. Cum conquieſceret ab his ceteriſque ſacri oratoris occupationibus, plerumque ſecedebat in Florentinum Jeſuitarum collegium, ibique

multa inſtituit ſcribere, quae omnem bene & christiane vivendi rationem continerent. Non minus rerum prudentia, quam dicendi arte, non illa quidem oratoria, ſed quae familiarem ſermonem imitatur, commendatur maxime opus, cui *il Chriſtiano Inſtruito* titulum fecit. Quam Etruſce, quam plane, quam ornate, quam ad id, quodcunque agit, apte congruenterque dicit! Quanta copia optimorum praeceptorum, earumque rerum omnium, quae majores noſtri religione tuta nobis, & ſancta eſſe voluerunt! Nullam vitae partem reliquit, quam non ſapientiſſimis conſiliis moderaretur, nullam virtutem, quam non confirmaret, nullum aegri & labentis animi vitium, quod non ſanaret. Licet in ſimilitudinibus & exemplis eligendis non ſemper falſa a veris diſtinxerit, ſunt illa tamen ſemper opportuniſſima ad rem, de qua agit, neque negabimus illa placuiſſe populo, cujus cauſſa haec ſuſcepta fuerat inſtitutio. Sunt nonnulli, quibus non minus probatur haec graviſſimi ſermonis lenitas, quam illa ſumma vis & contentio, qua in orationibus uſus eſt; ii vero, qui in his quaedam reperiunt, quae reprehendant, facile con-

cedunt omnibus numeris abſoluta eſſe, quae Segnerius de variis Chriſtianorum officiis & muneribus litteris mandavit, quod in iis ſit ordo plenus artis, copia praeceptorum, ubertas & varietas eruditionis, nulla res niſi loco poſita, nullum verbum aut durum, aut inſolens, aut humile, aut longius ductum, ſed omnia propria, mollia, & plena urbanitatis atque leporis. Ex quo factum eſt, ut Etruſci Lexici conditores (1) eam auctoritatem hujuſmodi Segnerii ſcriptis tribuerint, quam obtinuerunt qui duces & quaſi ſigniferi eleganter ſcribendi eſſe putantur. Neque mediocriter illi elaborandum fuit, ut hanc mereretur laudem. Quotidie fere octo horas in hujuſmodi ſcriptionibus conſumebat, doctiorum ac

---

(1) *Aliquid & ipſe contuliſſe videtur ad Etruscum Lexicon conficiendum, ut ex litteris Joſephi Segnii ad Redium conjicere potui. Elaboravit praeſertim in littera E. notans Latina nomina dicendique modos, qui Italicis reſponderent.*

praeſertim Redii ſui, quo nemo elegantior extitit, judicium exquirebat in conformanda oratione non ſolum electione, ſed etiam conſtructione verborum, & cum facillime animo teneret, quae animadverterat in Boccaccio aliiſque hujusmodi ſcriptoribus, iis ſic utebatur, ut, antiquitatis cujusdam obliteratae colore amoto, omnia ad multitudinis ſenſum, & ad elegantiorum aures accommodaret. Inter ſcripta, quae Segnerius ad pietatem in Deum ac Sanctos fovendam exaravit, haud ſilentio praetereundum eſſe putamus illud, quo ſibi propoſuit Atheorum convincere errores, quod intelligebat, niſi haec reipublicae peſtis, ac tanquam ſtruma civitatum comprimeretur, ac ſi fieri potuiſſet, funditus deleretur, actum fore non religionis modo, ſed & de imperiorum incolumitate. Collegit itaque multa, ex quibus conficitur nullam eſſe poſſe tantae impietatis ſtultitiaeque excuſationem, ſuoque more tractu orationis eleganti & aequabili illa perpolivit. Noſtris hiſce temporibus, quibus teterrimum hoc malum magis magiſque invaluit, & incrementum accepere diſciplinae, quibus ſanari poſſit, ita cum Atheis pugnare

ſolemus, ut non modo probabili argumentatione, ſed etiam neceſſaria prope mathematicorum ratione illos erroris convincamus. Quare ſi quid deeſt Segnerii operi, non minus illud ſuſpicere debemus, & amare quidem cogimur hominem, qui omnia ſua ſtudia omneſque vitae actiones ad hominum utilitatem & ſalutem contulit. Erat, ut diximus, in eo inexhauſta cupiditas agros & oppida peragrandi, ut agreſtioribus lumen divinorum praeceptorum conſiliorumque porrigeret atque tenderet. Quare non potuit non dolere vehementer ſe Praepoſitorum ſuorum & Summi Pontificis Innocentii XII. juſſis coactum eſſe novum amplecti vitae genus, cum mandatum illi fuiſſet munus ſacras habendi conciones in ipſo Sacello Pontificio. Neſcio equidem an quidquam fieri potuerit auguſtius hujuſmodi orationibus, quae cum habeant ſuam quamdam maturitatem, & quaſi ſenectutem, praeferri ceteris Segnerii videntur, quae interdum adsperſae ſunt pigmentis, fucoque illitae. Intelliges etiam ex iis, nullas fuiſſe a Deo, & ab Eccleſia praeſcriptas leges hominibus, qui lucere ceteris debent, quae hujus viri ſcientiam fu-

gerint. Atque hae luculentiores etiam evadebant, quod luminibus eloquentiae ornabantur exponebanturque ab oratore, qui exemplum ſemper omnibus fuerat innocentiae atque ſanctitatis. Hic cum ſumma voluntate bonorum omnium audiretur, magnaque in opinione eſſet apud Pontificem, ſperare honores dignitateſque potuiſſet, niſi haec aliaque hujusmodi, quae nimium cupide appetunt homines, plena futilitatis ſummaeque levitatis eſſe putaſſet. Etenim id curabat unice, ut Chriſtianae Reipublicae ſerviret, nunquam ſibi; & ſecum quidem perpetuum bellum ſuſcepiſſe videbatur domitor eximius cupiditatum omnium, & implacabilis vitiorum caſtigator. Magnum quoque in eo apparebat ſtudium ſuorum Jeſuitarum, atque utinam ut culpam, ſic ſuſpicionem nimiae in eos indulgentiae vitare potuiſſet. Quaedam in Noriſii Cardinalis vita tetigimus, ex quibus cognoſci potuit ab illius invidis & obtrectatoribus fuiſſe Paullum inductum, ut apud Summum Pontificem quaedam ipſius ſcripta ſubaccuſaret. Obtinuerunt etiam Praepoſiti illius, ut ſubtiliter nimis defenderet ſententiam illam, cui Theologi *probabiliſmi* nomen

impoſuerunt, propterea quia id rectum & honeſtum eſſe putatur, cujus probabilis ratio reddi poſſit. In tria autem genera haec probabilitas diſtingui ſolet. Ponitur unum in opinione, quae habeat in ſe quandam rationis ſpeciem, levem tamen & infirmam, & hoc rejiciendum, neque probabilitatis nomine donandum eſſe Segnerius docuit: bene enim Cicero. *Nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile.* Illud autem genus probabilitatis, cujus ratio reddi poteſt, quae ſatis habeat firmitatis, quamvis argumenta aeque firma ſe ſe offerant, quae ſint illi contraria, non improbandum eſſe contendit in morum ſcientia, & hoc in controverſiam diſceptationemque vocabatur. Nam Theologi omnes in eo conſentire videntur, quod, quando nihil ſe offert, quod ſit probabilitati contrarium, tertium hoc probabilitatis genus poſſit eſſe regula, ad quam tuto actiones dirigantur. Sane non egeremus hujuſmodi diſputationibus, niſi divinae legi laxamenti aliquod per pravas conſuetudines datum eſſet, & quod *probabiliſmi* patrocinium non parum offenſionis habere intellexit Tyrſus Gonzaleſius, nihil

non egit toto illo tempore, quo ſedit ad Societatis Jeſu gubernacula, ut ex illo ordine hanc maculam tolleret. Neque defuere magni nominis Theologi, qui Segnerii epiſtolam, qua complexus eſt ſuam, vel alienam potius de probabilitate ſententiam, quamque ineditam reliquit (primum enim emiſſa fuit Coloniae Agrippinae an. MDCCIII., ac ſecundo Neapoli MDCCXXVI.) magno rationum pondere oppugnarunt (1), quod maxime ſalutis communis intereſſe putarunt, omnium humanarum actionum ſummam cautionem, atque unam proviſionem eſſe, ut certa ſint praecepta, quae non captioſa probabilitate, ſed veritate ipſa percutiant animos. Sive quod natura non eſſet factus Segnerius, ut in aula viveret, ſive quod non poſſet diutius ſuſtinere Concionatoris Apoſtolici, ut loquuntur, munus, etiam atque

---

(1) *Vide cetera inter ſcripta*: Riſpoſta alla lettera del P. Paolo Segneri ſulla materia del Probabile, del P. B. P. V. Verona 1735. *Ejus auctor fuit Petrus Ballearinius.*

etiam a Pontifice petiit, ut hoc exſolveretur, quod ea conditione obtinuit, ut Theologi munere, quo antea auctus fuerat, ſaltem fungeretur in iis excutiendis quaeſtionibus, quae afferuntur ad Romanum Poenitentium forum, quaeque ad criminum expiationem pertinent. Aegre illi morem geſſit, cum hoc unum ſe cupere dixiſſet, ut remotus ab oculis hominum atque vulgi ſermonibus mortem in ſolitudine praeſtolaretur. Coeperat enim affligtari valetudinis incommodis, et aeſtate an. MDCXCIV. laboravit adeo ex ſtomacho & ex urina, ut ſaepius mutare caelum coactus fuerit. Sed non propterea levior eſt factus morbus, quo tandem Romae conſumptus eſt V. id. Decembris. Quod tota ejus vita quaſi lumen aliquod ſanctitatis ſemper eluxit, multi eum ſic coluerunt, ut beatos illos, quos in caelum, quaſi in domicilium ſuum receptos Eccleſia judicavit. Statura fuit juſta, corpore natura et exercitatione robuſto, moribus dulciſſimis humaniſſimiſque, acerrimo ingenio, judicio acri, ita denique a natura generatus, ut non ſolum ad magna, ſed & ad prorſus mirabilia factus eſſe videretur.

Digitized by Google

OPERA EDITA:

Nobis minime propoſitum eſt omnes operum Segnerii editiones recenſere. Quoniam in unum veluti corpus collecta, editaque Venetiis an. 1742. a Ballionibus fuere, eorum indicem ſic contexam, ut omnia, quae vulgaverit, cognoſci poſſint.

Tom. I. La manna dell'anima.
Meditazioni per tutti i giorni di un meſe.
L'eſpoſizione del Miſerere.
La pratica di ſtare interamente raccolto con Dio.
I Cinque Venerdì di S. Maria Maddalena de' Pazzi.

Tom II. Il Quareſimale.
Le Prediche dette nel Palazzo Apoſtolico.
Li Panegirici Sacri.

Tom. III. Il Chriſtiano inſtruito nella ſua legge diviſo in tre parti.

Tom. IV. L'Incredulo ſenza ſcuſa.
La concordia tra la fatica e la quiete.
La lettera di riſpoſta.
I ſette Principj.
Faſcetto di varj dubbj.
Il Devoto di Maria Vergine.
Il Parroco Inſtruito.

Il Confeſſore Inſtruito.

Il penitente Inſtruito a ben confeſſarſi:

Laude Spirituale.

Il Magnificat opera poſtuma.

Illud addendum putamus, Etruſci Lexici conditores omnibus praetuliſſe has Segnerii operum editiones.

Prediche o ſia Quareſimale Firenze 1606. Chriſtiano Inſtruito nella ſua legge Firenze 1686. Manna dell'anima Venezia per Paolo Baglioni 1712. Panegirici preſſo il medeſimo 1712.

Digitized by Google

Angelus Fabronius

Barthelemio suo

S. P. D.

S*Unt qui illudunt antiquitatis ſtudia tanquam inania & levia, rudes certe homines, & humanitatis totius expertes: nam qui amoeniores litteras norunt, ea ita efferunt, ut ſubſidia non modo bellıſſima, ſed etiam neceſſaria exiſtiment eſſe omnibus fere artibus ac diſciplinis perficiendis. Illa enim hiſtoriam, & quae illi inſervit, temporum ſcientiam adjuvant, & majorum inventa, inſtitutiones, conſuetudines, leges declarant, & cum minime habeant definitam aliquam regionem, cujus terminis ſepta teneantur, quoniam omnia, quae monumentis veteres conſignarunt, ſcienter & perite ſunt explicanda, ipsa ab litterati hominis proprio officio ac munere minime ſejungi poſſe arbitror. Ceterae fere artes ſe ipſae per ſe tuentur ſin-*

gulae; verum qui profitetur ſe poſſe ingredi antiquitatis iter, niſi collegerit multa ex variis & diverſis ſtudiis & artibus, & niſi a natura nactus fuerit ingenii acumen ad occultiſſima perſpicienda, & interdum myſteria enodanda, & memoriam firmam ad multa, quae viderit, inter ſe comparanda, & niſi diu multumque in veterum ſcriptis volutatus fuerit, quorum multa inutilia ſunt ceterarum artium cultoribus, non mediocre, quod ſuſceperit, munus haud explere poterit. Haec tenuiſſe Antonium Mariam Lupium, cujus vitam mandare litteris, tibique, vir amiciſſime, nuncupare decrevi, nemo ſane te melius judicare poteſt, qui ſummo ingenio, acerrimis ſtudiis, optima doctrina, maximoque uſu illud conſecutus es, ut, quae vulgaveris ad antiquitatem illuſtrandam, etſi omnia multi temporis non ſunt, multique laboris, eadem tamen laudanda omnibus videantur, & quaedam etiam admirabilia. Quod vero in uno opere, quod Anacharſis inſcribitur, triginta uſque continuos annos conſumpſeris, eſt ſane quod magnam tibi gratiam habeant omnes Graecarum antiquitatum cul-

Digitized by Google

tores. Nam de rebus publicis, de imperiis, de re militari, de diſciplina civitatum, de hominum moribus, de artibus vel ad bene ſuſtentandam vitam, vel ad excolendos oblectandoſque animos neceſſariis, quas coluerunt, de ludis, in quibus ſe exercuerunt, de legibus & religioſis inſtitutionibus, quibus paruerunt, de vitae conſuetudine, de regionum ſitu, de illuſtribus in omni arte viris, de cujuſque vita atque natura, de rebus praeclare geſtis, & conſiliis, nec ſolum quid actum, aut dictum fuerit memoria dignum, ſed etiam quomodo, nec ſolum de eventibus, ſed etiam de cauſſis ita perite, ita eleganter, & ſaepe etiam ita diſerte tractaſti, ut ii ipſi, qui harum rerum omnium auctores extitere, aut qui iisdem interfuere, melius dicere non potuiſſe videantur. Profecto neminem futurum arbitror, qui cum diſcere aliquid cupiat de Graecis, non malit audire Anacharſim tuum, quamvis hominem Scythen, quam evolvere illos antiquitatum theſauros, in quibus multa ſunt incondita, multa non ſatis explicata, pleraque nulla ſermonis elegantia expolita. Quod vero ille non eruditiſſimis modo viris, ſed etiam

iis, qui minime ſunt in litteris verſati, voluerit eſſe familiaris, omneſque allicere rerum copia, ſententiarumque varietate, modo narrans tractu orationis leni & aequabili, modo addens narrationi majorem ſonum vocis, modo expeditam, ac profluentem quodammodo adhibens celeritatem, modo augens res ipſas exornatione, & coloribus ex poeſi petitis, ſemper judicans prudenter, meliora ſemper eligens, hoc conſecutus videtur, ut omnium animos mirum in modum inflammaverit ad imitandas Graecorum artes, atque utinam non modo eas, quae in facili cognitione verſantur, ſed & eas, quae magnae & difficiles ſunt, in quibus quantum illi praeſtiterint reliquis gentibus, tum facillime intelligemus, ſi cum illorum operibus cetera conferamus. Etenim poſtquam ſcholae illorum ſilent, ſtatuaria illa hominem e marmore ſpirantem effingens prope extincta eſt: pictura autem, etſi levare humerum identidem viſa eſt magni alicujus artificis ingenio atque induſtria, tamen neque ad illam Graecorum divinitatem acceſſiſſe unquam putanda eſt; neque illam bonorum artificum ſibi invicem ſuccedentium

diuturnitatem & quaſi ſeriem eſt conſecuta. Quo in genere ego quidem non ſolum contemnere, ſed irridere etiam ſoleo pictores illos, qui Graecorum more ſe pingere gloriantur, quod ab iis didicerint ſphynges, amfractus, & hujuſmodi alia ornamenta colorare, quae ſpecie quadam capiunt homines, qui neſciunt quid ſit pulchrum, quid ſublime, quid illud quod arte effici poſſit. Polycletus cum Herculis, Phidias cum Minervae ſignum efficere vellent, non ſane laborarunt quemadmodum ille pellem & hydram, hic in clypeo minora quaedam fingeret. Majora & mirabiliora animo conceperant, quae exprimere ſcalpro ſic ſtuduerunt, ut divinum quiddam in ipſa humana figura omnes agnoſcerent. Sive ingenio, ſive arte, ſive utraque re id conſequi potuerint, incredibiles ſane tulerunt labores, ut tales exiſterent artifices, quales quaerebat populus, cujus ſuperbiſſimum erat judicium. Quae de ſculptoribus, deque pictoribus attigi, eadem ferme dicito de ceteris liberalium artium cultoribus. quorum ſi ſequemur exempla, etſi minime ipſorum aequare gloriam, quod multa obſtant & hominum &

naturae impedimenta, aemulari ſaltem poterimus. Neque vero ubi praeclara aliqua exiſtat ingenii bonitas & doctrina, de iisdem vincendis eſt deſperandum. Cujus rei, vir doctiſſime, tute ipſe nobis dediſti exemplum; nam Anacharſim tuum elegantes homines ſe malint ſcripſiſſe, quam vel Pauſaniae terreſtre iter, aut maritimum Arriani. Vale.

Piſis III. Kal. Martii MDCCXCI.

Digitized by Google

ANTONIUS MARIA LUPIUS.

ANtonii Mariae Lupii Florentini, viri ſane cum paucis notitia antiquitatis & ſacrae praeſertim comparandi, prima aetas propter humilitatem & obſcuritatem parentum (alter enim tonſoriam, alter obſtetriciam artem exercebat) in hominum ignoratione verſatur. Dubitari tamen non poſſe videtur, quin dederit ipſe clariſſima praeclarae indolis & ingenii indicia, tum Florentiae, tum Romae operam litteris navans, quod in more fuerit Jeſuitis neminem parentibus natum humilibus in familiam adſciſcere, qui fortunae iniquitatem magnis virtutibus non eſſet compenſaturus. Nam in illorum Societatem Antonius Maria adlectus fuit exeunte an. MDCCIX. cum vix compleſſet XVII. aetatis annum. Quae more inſtitutoque majorum erant peragenda a Tyronibus, Scholaſticiſque, ſive illa ad religionem, ſive ad doctrinam pertinerent, ita peregit, ut ceteris eſſet exemplo. Poſt haec Senas miſſus eſt ad tradendam Rhetoricam, cujus muneris partes ita

pe-

perite, ac diligenter explevit, ut multi, qui Jeſuitarum ſcholas averſabantur, & docendi rationem improbabant, ad ipſum audiendum confluerent. Sive enim verſus pangeret, ſive ſoluta numeris orátione ſcriberet, quae aſſequi potuerat arte, imitatione, exercitatione, aſſecutus videbatur. Captabat & benevolentiam diſcipulorum ſuorum moribus facillimis & humaniſſimis, omninoque natus factuſque ad ceteros erudiendos erat. Neque communi intelligentia contentus eſſe poterat. Nam cum perfecte noſceret hiſtoriam, & antiquitatis iter, Graecas litteras teneret, & multa collegiſſet ex variis & diverſis ſtudiis & artibus, atque in philoſophorum conſuetudine verſatus eſſet, maximeque eorum, qui de omni re propoſita in utramque partem ſolent copioſiſſime dicere, arbitrabatur ſic auditores ſuos inſtruendos eſſe, ut majus quiddam putarent artem Rhetoricae diſcere, quam erat in opinione multorum. Idém cum praeeſſet inſtitutioni eorum adoleſcentium, qui in collegium Ptolemaeianum conveniebant, in quo flos erat Italicae nobilitatis, erudiebat alios in hiſtoria, alios in geographia, alios in geometria, alios de-

nique in architectura tum civili, tum militari, quae ornamenta, ut & alia plurima, ipſe ſibi ſine magiſtris paraverat. Ad varietatem doctrinae aſſequendam plurimum illi profuit non ſolum mira quaedam in cognoſcendo ſuavitas & delectatio, quae non ſinebat ipſum vel minima temporis ſpatia amittere, ſed etiam linguarum peritia. Nam praeter Graecam & Latinam noverat & Hebraicam, & Gallice & Hiſpanice loquebatur ſic, nullas ut alias noſcere linguas videretur. Poſt haec operam navare juſſus Romae rerum divinarum ſcientiae non ſe continuit in quotidianis exercitationibus, ſed tenere omne id curavit, quod proprium theologorum eſſet, cumque exacto quadriennio hujus univerſae facultatis publice defendendas ſuſcepiſſet propoſitas theſes, ſic ſatisfecit muneri ſuo, ut omnes, qui adeſſent, doctrinam agnoverint, & ingenium admirati fuerint. Cum teneretur Lupius magno ſtudio veterum rerum, quarum maxima eſt copia in urbe, quae fuerat Romani Imperii ſedes, etiam illud aſſecutus eſt, ut intellexerint ii, quibus parere cogebatur, fore illum ſingularem monumentorum explicatorem, omninoque antiqui-

tatis nuntium, ſi huic ſtudio unice vacare illi licuiſſet. Sed mos erat Jeſuitis ſuos in plura ac diverſa diſtrahere, & ſane majus ab iis litterae accepiſſent incrementum, quamvis non mediocre accepiſſe vel ipſi eorum inimici fateri debent, ſi quaeſiiſſent ſemper non quid ſibi, ſed quid omnibus utile foret, ſemperque ſiviſſent eos, qui a natura facti ad aliquod opus eſſe videbantur, in hoc uno dies & noctes conſumere, omneſque induſtriae nervos contendere. Quanquam praeclara fuerint ea, in quibus induſtriam & diligentiam ſingularem Lupii adhibuerunt, ſive juſſerint illum Aretii diebus dominicis ſacras ad populum habere conciones, ſive Maceratae publice tradere philoſophiam, ſive moderari ſtudia & mores eorum, qui in Seminario Romano degebant, ſive eſſe ab epiſtolis Societatis Praefecti, haec tamen retardabant magis quam incitabant ſtudia illius. Solebat enim dicere haec receſſum ſcribentis & otia quaerere, quae raro dabantur ſibi (1).

(1) Vid. ejus epiſtolam ad Antonium Franciſcum Gorium, quae eſt XII. inter epiſtolas illius vulgatas a Zacharia.

Atque interea tamen multa undique colligens, & illa praeſertim, quae veterum Chriſtianorum conſuetudinem vitamque declarabant, de quibus multa ſolebat pro ſuo ſingulari in religionem ſtudio in ſermonibus quotidianis dicere, tantam ſibi famam comparaverat, ut nemo illorum, qui in hoc rerum genere peritiſſmi erant, eidem anteponeretur. Quapropter ſaepe conſulebatur de iis monumentis, quae in apricum profert aetas, praeſertim ſi in iis aliquid inſcriptum eſſet explicatu difficile. *Me quoque vatem dicent Paſtores*, jocans ſcribebat ad Horatium Burgundium ſuum, cum interpretandas ſuſcepiſſet binas inſcriptiones, gemmam quamdam, & circulare plumbum, quod magni moduli numiſma imitatur, in quibus S. Laurentii martyrium exprimi putavit. Ornabant omnia haec Victorianum Muſeum, & ad antiquitatem Chriſtianam pertinebant. Quod Lupius multa per ſe viderat, multa legerat, multa in rem ſuam ſepoſuerat, id illi ſemper in more fuit, ut magna copia monumentorum ſententias ſuas & confirmaret, & ornaret, quocirca multas inſcriptionum decades, quarum pleraeque minime in vulgus emiſſae fue-

tant, attulit, ut binas illuſtraret, ex quibus omnibus diſcimus quam ſaepe veteres Chriſtiani peccaverint in ſcribendis titulis, his interdum deeſſe nomina eorum, qui illos faciebant, minime conſueviſſe eosdem Gentilium nomina mutare, dum illos luſtralibus aquis lavabant, & quibus uterentur dicendi modis ad amoris & grati animi sensus erga mortuos exprimendos, & quibus ſymbolis ad dogmata ſua indicanda. Ex multis variiſque rebus, quae tractat, optimoque in lumine collocat, facile judicabis nullius rei, quae in hac arte versatur, illum fuiſſe ignarum. Quare minime eſt mirandum ſi multi illum eliciebant ad hujusmodi diſputationes, quorum voluntati ſic obſequebatur, ut nemo unquam facilitatem ac prudentiam ab illo deſideraverit. Solebat autem dicere, ea, quae ſcriberet, neque ab indoctiſſimis, neque ab doctiſſimis legi velle, quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortaſſe, quam ipſe poterat, quod maximis diſtineretur occupationibus, quae impediebant illum his ſtudiis tantum operae dare, quantum neceſſe eſſe arbitrabatur. Non poterat enim paucis eſſe contentus, & quoties iter aliquod in-

grediebatur, minima quaeque diligentiſſime inveſtigabat, per quae id, quod aſſumpſerat, conficere, & facilius ea, quae contra dicerentur, diluere aut infirmare poſſet. Quoties vero aliquid proferebat vel dubium, vel probabile, minime arroganti oſtentatione defendebat, ſubjiciebat rationes ſententiae ſuae, ceteris relinquens libertatem, ut vellent, judicandi. Antonius Franciſcus Gorius, qui bene noverat hominis ingenium, ab ipſo aliquando petiit, ut de veteribus Baptiſteriis Chriſtianorum, quae obſervaverat, mandare litteris vellet, quae cum ſtudioſe tractare coepiſſet, intellexit ſtatim ejuſmodi rem eſſe, quae multa commentatione egebat, ut pote quae tota a conjecturis pendebat, cum lex nulla, decretum nullum extaret, quod formam hujuſmodi aedificiorum praeſcriberet. Sibi conſtare arbitrabatur cum ceteris antiquitatum Chriſtianarum ſcriptoribus, a Gentilibus ad nos multa veniſſe, ſive illa ritus, ſive caerimonias reſpicerent. Neque minus illi erat perſuaſum majores noſtros ab ipſis ſumpſiſſe ſacrorum aedificiorum formam, & vetera balnea imitatos fuisse in iis, quae baptiſmo deſtinaverant. Quae

ut probaret, de Baſilicis earumque partibus, & de minoribus templis, quae erant ad martyrum ſepulcra, plura profert, a quibus tranſit ad Baptiſteria, nihil omnino, quod ad rem pertineat, praetermittens. Ex nominibus ſacro & profano aedificio communibus, ex ſimilitudine, quae erat inter utrumque, firmiſſima trahit argumenta, & ſic perſequitur ea, quae ad veterum balnea & thermas ſpectant, ut multa nova, quae ceteros fugerunt, nos doceat. Querebatur ſibi cum tempore edaci rem eſſe, nec ſatis aperte reſpondere lapides illos, quos ſaepe interrogabat. Confert cum Baptiſteriis quae de balneis eorumque partibus dixere Vitruvius, Palladius, Lucianus, aliique, illorum ſcriptorum loca obſcura illuſtrat, inſcriptiones aliaque monumenta in medium profert, utitur tum rationibus, tum auctoritatibus, neque modo ſententiam ſuam exornat, probabilemque reddit, ſed etiam quomodo has diſputationes tractari conveniat oſtendit. Sed paucos Lupii ſimiles habebis, cujus diligentia ingenii acumen aequabat: nolebat neque pauca, quo minus intelligeretur, neque, re intellecta, plura conſcribere, in quo ſaepe peccant

antiquitatis cultores. Verum dum quaerebat quod ſatis eſſet ad intelligendum, adeo excrevit Diſſertationis magnitudo, ut aliis diſtractus occupationibus minime extremam manum illi ponere potuerit. Plura alia hujuſmodi ad antiquitatem Chriſtianam pertinentia tractavit, vel ut amicorum voluntati, vel ut ſtudio & ingenio ſuo obſequeretur: nihil enim ſe malebat eſſe quam religioſum virum; & ad pietatem erga Deum & Sanctos ſovendam, & ad dogmata, quae nos Eccleſia docuit, confirmanda, mirum in modum conducere veterum Chriſtianorum monumenta ajebat. Neque minus in profana antiquitate excellebat: eadem ars, eadem facultas eſſe videtur, quae eosdem ſcientiae fontes habet, eodemque indiget ingenii acumine, eademque veterum ſcriptorum monumentorumque peritia. Atque haec quanta eſſent in Lupio, cognoſces praeſertim ex iis diſſertationibus (quanquam non multa hujuſmodi emiſerit) quibus aut ſepulcrale anaglyphum in via Appia repertum, cujus explicationem deſperandam eſſe pronuntiaverat Montfauconius, & in qua non feliciter admodum ſe exercuerat Delius ille Philippus Bonarrotius, aut Ro-

manum marmor, in quo expreſſa erat Homeri apotheoſis, aut Florentinam explicavit gemmam (non libet enim ſingulas commemorare) in qua exhibentur Diomedes & Ulyſſes, quando

Fatale aggreſſi ſacrato avellere templo
Palladium, caeſis ſummae cuſtodibus arcis
Corripuere ſacram effigiem.

Vel cum jocans aliquid ejuſmodi tractandum ſuſcipiebat, & delectabat, & erudiebat auditores ſuos. Cujus rei exemplo (ni fallor) eſſe poſſunt, quae in corona quadam eruditorum hominum dixit de ſigillariis, quae nervis movebantur, quaeque Greco vocabulo appellabantur Νευροσπαςται. Litterae ipſae, quas ad amicos ſcribebat, plenae erant notitiae antiquitatis, nec ei verba deeſſe poterant, quoties recurrebat ad adversaria ſua, in quibus condiderat immenſam eruditionis copiam. Cura & ſtudio eruditiſſimi viri Franciſci Antonii Zachariae ſunt in manibus hominum viginti uſque tres harum epiſtolarum, quas totidem diſſertationes dixeris. Iis enim modo a-

liquam inſcriptionem vel Graecam vel Latinam interpretatur, modo mancam ſupplet, & ex his fuit una Pinacothecae Florentinae, quam recuſare medicam manum omnes eruditi autumabant, & hanc ipſe dum feliciter adhibuit, multas alias inſcriptiones magna ex parte ineditas protulit, modo rara numiſmata recenſet, modo ſigna, vaſa, ſarcophagos, aliaque ejuſmodi monumenta explicat, modo aedificia, & muſea deſcribit, ex omni genere eruditionis ſibi praeſidium parans ad haec omnia illuſtranda. Prorſus homini, qui haec curat, belliſſimum eſt theatrum civitas, quae quondam fuit terrarum domina, & ad quam omnium fere cultiorum nationum ornamenta venere. His adde, quod quacumque ingrederis, in aliqua hiſtoria veſtigium ponis. Quare Lupius fateri minime dubitabat, quidquid profeciſſet in hujusmodi ſtudiis, totum id ſe debere commorationi ſuae in ipſa urbe Roma. Itaque non potuit non moleſte ferre, quod ea de ſe Societatis Praefecti inierint conſilia, quibus cogebatur Panormi conſiſtere. Per illos dies in hac urbe inſtitutum fuerat Collegium nobilium adoleſcentium, cujus regimen Jeſuitis commiſſum fue-

rat, & quod magnopere intereraț eſſe hominem prudentia, moribus religioſiſſimis, & doctrina praeditum, qui illud moderaretur, & qui, fama jam parta, decus illi adderet, conjecti ſunt oculi in Lupium, qui quamvis aegre Roma diſtraheretur, hoc ſe tamen animo eſſe affirmavit, ut ſi in hac cura atque adminiſtratione vita ſibi eſſet ponenda, tamen praeclare ſecum actum putaret. Nil enim malebat, quam obſequi ſuorum voluntati, & aliorum utilitati ſervire. Panormum appulit ineunte Novembri an. M DCCXXXIII. ſtatimque omnia ſua conſilia, ſtudia, officia, operam, laborem, diligentiam ad munus ſuum contulit. Docuit Rhetoricam, & omnium ſtudia moderatus eſt. Cum adjungeret in conſuetudine & familiaritate ſuavitatem miram, quidquid volebat, facile conſequebatur. Itaque languentes adoleſcentes excitabat, currentes inflammabat, neque omnino erat facultas ulla, quam ipſe teneret (& plures quidem, ut ſupra commemoravimus, tenebat) in qua illos libentiſſime non exerceret, ad cujusque naturam, quod maxime videndum eſt iis, qui aliquos erudiunt, ſuam inſtitutionem accommodans. Mi-

ra vero erat ejus dexteritas in praeparandis ad virtutem animis. In omni enim ſermone ſuo, in omnibus diſciplinarum, quae dabat, praeceptis, nunquam non prudenter intexebat aliquid de rebus bonis & malis, expetendis aut fugiendis, honeſtis aut turpibus, utilibus aut inutilibus, de juſtitia, de continentia, de prudentia, de amicitia, de fide, de officio, de ceteris virtutibus, ut haec prima & potiora ſe ducere appareret. Cum vero aliquid hiſtoricum narrabat, omnia, quae pertinebant ad uſum populorum, ad morem hominum, ad conſuetudinem vitae, ad diſciplinam civitatum & imperiorum, ſic exponebat, ut intelligeretur quid eſſet probandum, & quae eſſent in rebus geſtis cauſſae vel caſus, vel ſapientiae, vel temeritatis. Summo ingenio, accerrimiſque ſtudiis vel illud conſecutus fuerat, ut de re militari, praeſertim antiquorum, perite loqui poſſet, quod libentius faciebat, quia in illo Collegio nobiliſſimorum juvenum plures erant, qui ſe militiae deſtinaverant. Quare non dubito, quin ſi in illum incidiſſet Hannibal, abſtinuiſſet ab irridendo, ut quondam irriſit Phormionem Sophiſtam. Multa & varia, quae, ip-

ſo duce, didicerant Collegii alumni, quotannis in publico proponebant, in quibus exercitationibus cum multum temporis & magnum laborem inſumeret Lupius, ſatis declarabat ſe magis communis utilitatis, quam ſuae laudis rationem habere. Haec tamen majora videbantur Panormitanis, quam erant expectata, non quod unquam de Lupii doctrina, & voluntate dubitaſſent, ſed quia quantum unus homo facere poſſet, non ſatis exploratum habebant. Itaque nihil praetermiſerunt in illo ornando, quod poſitum eſſet in honore verborum, & in declarationibus benevolentiae gratique animi. Majore fortaſſe cum ſua gloria illis Lupius ſatisfecit, quoties ad illorum Academiam, quae Paſtorum Ereinorum dicitur, venit cum donis ſane corona dignis. Mos illi erat quotannis celebrare Chriſti ortum, qua occaſione bis erudita Lupii vox audita eſt recenſere & perpendere varias doctorum hominum opiniones de anno primum, mox de menſe, quo dicta eſt hominibus divina lux apparuiſſe. Coram iiſdem plures alias diſſertationes recitavit, ipſoque dicente, conveniebant frequentiſſimi propter famam hominis, et rerum expectationem

reconditarum. Cupiebat omnia Lupius Panormitanorum ſuorum cauſſa (1), & quanquam re ipſa atque animo ſciret ſe illis eſſe gratiſſimum, nullam tamen praetermittebat occaſionem de iisdem benemerendi. Univerſa civitas cum cenſuiſſet exequiis, & laudatione concelebrandam eſſe memoriam Caſimiri Dragi, qui Neapolitani Regis nomine, cui a conſiliis fuerat, ampliſſima & caſte & ſancte ſuſtinuerat munera, Lupius in ſe onus recepit habendae orationis, quae digna viro judicata eſt, quem ſummis laudibus omnes in caelum jure et ve-

---

(1) *Nimium fortaſſe cupiebat: quare cum diſſeruiſſet de rebus a ſe Meſſanae obſervatis, dum iter per Siciliam habuit, ita civitatem illam deſcripſit, ac ſi eſſet* Ilium & ingens gloria. *Nemo autem ignorat quam parum Panormitani Meſſanenſibus ſint amici. Quare minime eſt mirandum ſi ex his quidam fuit, qui an.* MDCCLVII. *edito Liburni libello, commovit ſuſpicionem non in Lupium modo, ſed & in eos, qui ejus epiſtolas de Meſſana vulgarunt, ac ſi eſſent apocryphae atque adulteratae.*

re ferebant. Satis habuerat Lupius a natura ad eloquentiam inſtrumenti, quod arte expoliverat, omninoque ejus oratio, ſive grandior eſſet, ſive tenuis, ſive ea, quae particeps utriuſquè generis quadam mediocritate laudatur, qua plerumque uti ſolemus in diſſertationibus Academicis, elegantiam venuſtatemque habebat. Nam in veteribus erat ſcriptis ſtudioſe & multum volutatus, & quod docuerant litterae, bona confirmaverat conſuetudo, ut verbum nullum ex ore ejus prodiret, quod quiſquam jure reprehendere poſſet. Interdum etiam ſcripta ſua hilaritate aſpergebat, atque ita, ut neque jocus magnitudine rerum excluderetur, nec gravitas facetiis minueretur. Non diſſimilis fuit vita & natura Lupii, ut in ſingulari dignitate omnis tamen adeſſet humanitas & lepos. Quid multa? Cum illo congrediens, ipſumque audiens non deſideraſſes meliorem jucundioremque. His de Lupio praeconiis illud & addendum videtur, ſingulari illum fuiſſe modeſtia, ex quo factum eſt, ut quamvis in principibus antiquitatis cultorum numerari potuiſſet, non niſi cunctans & quaſi verecundans adduci potuerit ad prodeundum in

lucem hominum . Etenim antequam an. MDCCXXXIV. Panormitanis typis emitteret explicationem epitaphii Severae Martyris Romae in coemeterio Thraſonis atque Saturnini anno MDCCXXII. reperti, quae ſcripſerat, ſibi & amicis tantummodo ſcripſerat. In ingreſſu vero hujuſce operis, quo nihil in ſuo genere perfectius fieri potuit, ait ſe illud ſcribendum ſuſcepiſſe non ut doctis hominibus placeret, ſed ut conſuleret inexercitatis & rudibus juvenibus, confirmans veteribus monumentis, quae magiſtri tradere ſolebant praecepta ad ingrediendum antiquitatis iter. Sed noli putare anguſtis adeo finibus ipſum opus circumſcribi. Innumera enim ſunt, quae continet, eaque maximi momenti, totque habet monumenta tum ſacra, tum profana, tantamque reconditae eruditionis copiam, ut ex hoc uno qui quantusque vir fuerit Lupius. judicari poſſit. Principio differit de Claudii Gothi imperio, ejuſque moribus, & de Paterno ejus in conſulatu collega, quem conſulatum incidiſſe probat in annum aerae Chriſtianae CCLXIX. qua occaſione plura de cyclis & de chronologia eccleſiaſtica ſcitu ſane digna tangit, solvens quae-

quaeſtiones, quae inter doctiſſimos viros jamdiu agitabantur. In hujuſmodi rebus, de quibus ambigitur inter peritiſſimos, magnam eſſe veterum inſcriptionum, quas poſuere Chriſtiani, auctoritatem probat, quod de eorum diligentia, etſi in aliis multis peccare ſoliti fuerint, dubium eſſe non poſſit. Quod ad hiſtoriam et martyrium S. Severae & ad Martyrum ſepulcra pertinet, nihil omittit eorum, quae ſciri potuerunt. Profecto minime negabis multa et magna et difficilia eſſe ea, quae ſunt veterum monumentorum explicatori neceſſaria, ſi perpendes ea, quae Lupius tradit de ornamentis, de ſiglis, de orthographia, de interpunctione, de vocibus, ac dicendi modis barbaris, qui in inſcriptionibus Chriſtianis apparent; et quod Severiana haec Latina Graecis litteris non inciſis, ſed minio oblitis ſcripta erat, de his omnibus rebus ita diſſerit, ut nihil affirmet, quod firmiſſimis rationibus, magnaque monumentorum copia non probet. Dum quaerit, num Ethnici in eorum epitaphiis conſueverint notare diem, quo quis e vita ceſſerat, quamvis id raro fecerint, convincit tamen erroris eos, qui id nunquam feciſſe affirmabant,

et adverſus Baronium probat, minime recuſaſſe veteres Chriſtianos uti ipſorum Ethnicorum vocibus ad notandos dies loco earum, quas divinorum librorum ſcriptores et Sancti Eccleſiae Patres adhibuerunt. Ecquid non patefecit, quod eſſet in hac inſcriptione occultum, aut dubium, quodque ad eam referri poſſet? Cumque multa collegiſſet ex legibus, ex hiſtoria, ex omni antiquitate, et ex vita, ac more communi Chriſtianorum, omnia explicans acute, et quadam etiam Latini ſermonis elegantia, non tam iis conſuluiſſe mihi videtur, aut qui ſunt in curſu, aut ingrediuntur ad ſtadium, ſed etiam iis, qui exercitatiſſimi erant, multa ſuppeditaſſe, quae diſcerent et meditarentur. Ad haec obtinenda multas inſcriptiones, quibus uſus fuerat in aliis diſſertationibus, neceſſe fuit ſuccedere in hanc Severianam, ut ad id, quod erat propoſitum, nihil relictum eſſe judicaretur. Alia hujuſmodi plura edere meditabatur Lupius, ſed cum remitteret nihil de ſuis ſtudiis, et de perſeverantia ac diligentia ſumma, quam adhibebat in inſtituendis Panormitani Collegii alumnis, in morbum incidit, ex quo III. Non. Novembris an. MDCCXXXVII.

quo ipſo die quadriennio ante Panormum appulerat vitam amiſit. Homo caſtiſſimus et religioſiſſimus minime perterrefactus eſt mortis adſpectu. Haec tamen luctuoſa et acerba fuit bonis omnibus, et praeſertim Panormitanis, qui cum juſſiſſent ejus laudes celebrari tum vincta, tum numeris adſtricta oratione in Academia Ereinorum, in quo tot erant, ut ita dicam, doctrinae Lupii impreſſa veſtigia, non parem illius ingenio, at pro ſuorum tamen ſtudio meritam gratiam debitamque se retuliſſe palam praedicarunt.

OPERA EDITA.

Diſſertatio & animadverſiones ad nuper inventum Severae Matryris epitaphium; Panormi ex typographia Stephani Amato 1734. *in fol.*

Diſſertazioni Lettere, ed altre operette del chiariſſimo Padre Antonmaria Lupi Fiorentino per la maggior parte non più ſtampate, e ora ordinate, a luogo a luogo illuſtrate con Giunte e Annotazioni, e poſte in luce da Franceſcantonio Zaccaria Tom. II. in Faenza 1785. preſſo Gioſeffantonio Archi in 4. *Vel ante hoc tempus editae fuerunt opera Antonii Franciſci Gorii*

Diſſertazioni e lettere Filologiche antiquarie date ora per la prima volta in luce, adornate di annotazioni, e delle memorie ad eſſo ſpettanti. In Arezzo per Michele Bellotti 1753. in 8.

Tre diſcorſi Accademici. *Extant* nella Raccolta Calogeriana Tom. XXII. e XXIV.

Orazione nel funerale del Sig. Marcheſe D. Caſimiro Drago &c. Palermo appreſſo Stefano Amato 1736. in 4.

Theses Hiſtoricae, Chronologicae, Criticae, Philologicae &c. ad vitam Sancti Conſtantini Magni Imperatoris Auguſti pro diſputatione habenda in Regali Collegio Carolino Nobilium ſub regimine PP. Soc. Jeſu. Panormi 1736. *Iterum*

has theſes vulgavit Gorius: Symbolae Litterariae Tom. IX p. 133.

Notizie di S. Innocenzio Fanciullo e Martire, il corpo del quale eſtratto dal Cimiterio di S. Calepodio in Roma ſi conſerva in Palermo nella Cappella del Real Collegio Carolino &c. Palermo nella Stamperia di Stefano Amato 1737. in 4. e in Arezzo 1753.

Ex Zacharia, qui tum editas, tum ineditas Lupii Diſſertationes in unum corpus, ut diximus, collegit vulgavitque, ſcimus ipſum reliquiſſe haec ſcripta vel imperfecta vel amiſſa.

Genealogie delle famiglie Principeſche di Europa
Trattato del Blaſono
Elementi di Storia
In Catulli carmina Adnotationes
Compendio della Storia di Sicilia
Diſſertatio de donatione Conſtantini
Scrittura ſopra la facciata di S. Giovanni Laterano
Prediche, Panegirici, e Poetici componimenti.

ANGELUS FABRONIUS.

FRANCISCO PESARO PATRICIO VENETO

ET PROCURATORI AMPLISSIMO

S. P. D.

Vetus eſt opinio hominum eam dicendi vim, quae eloquentia dicitur, nuſquam libentius verſari quam in libera civitate, nuſquam majori inſtructu ornatuque comitatam ingredi, quam in bene conſtituta Republica. Etenim ſi ejusdem ſive artis, ſive ſcientiae, ſive facultatis principia veſtigemus, ſi incrementa, ſi ſummum locum, in quo viſa eſt aliquando conſiſtere, reperiemus in optima Athenienſium civitate ortam, educatam, perfectam; unde leges & Reipublicae imaginem aliquam accepit, cui rerum potitus eſt, Populus Romanus, apud quem floruit eloquentia, dum Reſpublica floruit; quam ob rem libertatis comes atque alumna a ſapientiſſi-

mis viris eſt appellata. Profecto quid ſunt illae laudationes, quas, dum omnia unius imperio ſubjecta erant, Oratores dederunt Caeſaribus, Plinii ad Trajanum panegyrico vix excepto, ſi comparentur cum orationibus, quas habuit Cicero in Catilinam, & Antonium Romanae libertatis everſorem? Vix in illis veteris eloquentiae veſtigium apparet, quamvis multa ingenii lumina eluceant. Nervi animique deficiunt, tanquam in tabula quadam aſperſa temere pigmenta vix oris lineamenta effingunt, aſſentandi cupiditas ad multitudinis & ambitioſorum levitatem titillandam facta veritatem, in qua rectum pulchrumque conſiſtit, minime imitatur, nil ſenſum permovet, nullae dicendi faces, quae magnis in rebus adhiberi ſolent, denique nullus impetus, & vis orationis nulla, contra omnia calamiſtris inuſta, fucoque interdum puerili ornata. Vere hoc mihi videor poſſe dicere, bene conſtitutam Rempublicam non magis egere hominibus, qui armis, quam qui lingua ipſam defendant, quique velint & poſſint miſeros & calamitoſos ſublevare, innocentes defendere, conſolari, erigere, ini-

micis repugnare, improbos deterrere, eorum conſilia aperire, ſpiritus frangere, furorem exagitare, atque ſcelera ulciſci. Nec, quod aliquando per factioſos oratores magna importata ſint detrimenta, minoris facienda erit eloquentia, cum ars ſit nulla vel praeſtantiſſima, qua ad perniciem hominum abuti non poſſimus. Sane non video qua ratione eorum nefarii conatus a Republica propulſari, & populus ab errore deduci poſſit, niſi nos quoque arma eadem teneamus, quibus ab eorum inſidiis tegamur. Cum ſit igitur tanta utilitatis magnitudo, quae ab eloquentia percipitur, nulla non laude celebrandi ſunt ii homines, qui in illa aſſequenda elaborant, quique ita funguntur honoribus & muneribus Reipublicae, ut poſſint ſuo jure dicere idem, quod apud Ennium dicebat ille Pythius Apollo, ſe eſſe eos unde ſibi, ſi non populi & reges, at omnes ſui cives conſilium expeterent,

. . . . . ut ne res temere tractent turbidas.

Jam vero illud notum eſt omnibus, qui ſibi sumunt dicendo vel excitare, vel ſedare in a-

ulmis hominum quemcumque motum res & cauſſa poſtulet, debere eos in publicis juribus, quae ſunt propria civitatis & imperii, omniumque gentium, in monimentis rerum geſtarum, & vetuſtatis exemplis eſſe verſatos, peritos eſſe philoſophiae, & illius praeſertim, quae a moribus nomen accepit, aliarumque multarum diſciplinarum, a quibus eloquentia aut ſuſtentatur aut adjuvatur, exercitatos praeterea maximis in rebus gerendis & ſuſtinendis, & in uſu frequenti dicendi, qui omnium magiſtrorum praecepta ſuperat, callidos item ad noſcendum quid commoveat ſenſus, ad quos adducere auditores ſibi proponunt, quid capiat aures, quid voluntates impellat, quid deducat, &, ut paucis dicam, quid vim afferat in docendo ac perſuadendo. Quocumque te animo & cogitatione converteris, permultos in hoc genere excellentes homines apud vos extitiſſe & eſſe videbis, qui conſilio, ſapientia, lingua regere & gubernare rempublicam potuere, ut in illa profecto nulla unquam vehementius, quam eloquentiae ſtudia viguiſſe videantur. Illud dolemus unum, quod patria lingua u-

tamini, quae cum imperii veſtri finibus definita ſit, minime ſuppeditare poteſt ceteris Italiae populis quod admirentur, atque imitentur. Fuit tamen ſapientiſſimum Senatus veſtri conſilium mandandi Melchiori Caeſarotto viro litterarum Graecarum doctrina claro, ut in Italicam linguam converteret illuſtriorum Graecorum orationes, quo eas legerent omnes, diſcerent, atque tamquam exempla ad imitandum ſibi proponerent. Conſtare enim inter omnes videtur, ut dixi, Athenis omnium doctrinarum inventricibus ſummam quoque dicendi vim & inventam & perfectam fuiſſe. Quae vos geritis, ſunt quidem apud me auctoritate tanta, ut non dubitem, quin ars & facultas illa, que recte a bono poeta dicta eſt flexanima, atque omnium regina rerum, cum exul errabit, (Deus omen avertat) veſtrum tanquam tutorum fidelium patrocinium ſit imploratura. Ac mihi quidem ſaepenumero in ſummos homines ac ſummis ingeniis praeditos, quibus floruit urbs noſtra Florentia, intuenti quaerendum videtur, cur permulti in omnibus artibus, perpauci vero in dicendo admirabiles extitiſſent, atque id

cauſſae eſſe puto, quod nullis huic ſtudio propoſitis praemiis vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem, hoc unum relictum eſſe videtur, ut laudando extollat eos, qui fortuna, ſapientia, atque doctrina ceteris antecelluere. Hujusmodi plura habes in Salvinii ſcriptis, a quibus quidem abeſt omnis illa vis, & quaſi flamma oratoris, quibus animi audientium non commoventur modo, ſed etiam accenduntur. Habent tamen pompam quamdam, & florem etiam verborum atque ſententiarum, & quod unus erat homo, qui hoc ſuſcipere ac polliceri poſſe videbatur, ut de omni re, quaecunque eſſet propoſita, satis ornate, copioſeque diceret, quod ſingulari ingenio ac memoria praeditus omnia fere, quaecunque eſſent, ſcientia & cognitione comprehenderat, ejus vitam declarandam ſuſcepi, ut eam Tibi, ampliſſime Procurator, nuncuparem, qui eas artes, a quibus famam conſecutus eſt Salvinius, ne poeſi quidem excepta, vel a prima aetate coluiſti, qui liberalitate ſumma faves ingeniis & litteris, quique me ſemper benevolentia ſingulari complexus es. Accipe ergo munus, tanquam amicitiae pi-

gnus, & ſi tibi gratum fuiſſe intelligam, aliis fortaſſe nugis explebo deſiderium tuum, quo teneris, noſcendi vitam, mores, ingenium eorum, qui totam aetatem in litteris excolendis contriverunt. Vale.

Piſis III. *Non. Martii* MDCCXCI.

Digitized by Google

Antonius Maria Salvinius.

Perpaucos ſane habebis, quos doctrina Latinarum litterarum, maximeque Graecarum Italicarumque cum Antonio Maria Salvinio comparaveris, quibus homo navus & induſtrius ſingulariſque memoriae cum adjunxiſſet notitiam Hebraicae linguae, Chaldaicae, Gallicae & ejus praeſertim, qua veteres Provinciae poetae utebantur, nec non Hiſpanicae, Germanicae & Anglicae, effecit, ut nullius rei ignarus eſſe videretur. Natus is Florentiae nobilibus parentibus Andrea Salvinio & Eleonora Dua prid. id. Januarii an. MDCLIII. domi praeceptorem habuit Franciſcum Mariam Bonfrizerium, foris vero Jeſuitam Vincentium Glaream, a quibus ſane non multa adjumenta habuit ad rectam ſtudiorum rationem ineundam. Clarius tamen explendeſcebat, quam generoſi condiſcipuli aequo animo ferre poſſent, inter quos honoris cauſſa nomino Benedictum

Averanium, Jo. Baptiſtam Ptolemejum Cardinalem, Bonaventuram Gherardeſcam Florentinorum Antiſtitem & Anſaldum Anſaldium Praeſulem & juris conſultiſſimum. Illo priori poſtea uſus eſt ad exeplendam ſitim, qua ardebat, litterarum Graecarum, quibuſque magnam gloriae ſuae partem acceptam referre debuit. Traditur antequam Piſas concederet juris prudentiae ſtudiorum cauſſa, matheſin coluiſſe sub Vincentio Viviano, & hujus diſciplinae, ſicuti & philoſophiae ſtudium in ipſa urbe ſub Donato Roſſettio Liburnenſi renovaſſe. Si id verum eſt, videtur quidem non admodum feliciter tractaſſe eruditum Geometrarum pulverem, cujus rei conjecturam facere licet ex iis, quae ſparſit in Etruſco Lexico definiens ciſſojdem & concojdem, aliaſque geometricas figuras, tetigitque in Adnotationibus ad paſtoritium poema Bonarrotii, quod inſcribitur *la Fiera* (1). Omnino is rationem

---

(1) *Animadvertit id ipſum magnus Geometra Guido Grandius in epiſtola quadam ad Thomam Bo-*

habere volebat cum manſuetioribus Muſis, quibus rediens ab Academia Piſana, atque vale dicens, vel invito patre, juris prudentiae, quamvis illius inſignibus decoratus fuiſſet, totum ſe dedidit. Is bene cognitus erat Leopoldo Mediceo Cardinali, qui conſtantiſſime ſervavit conſuetudinem ſuſcipiendi patrocinium adoleſcentium, in quibus praeclaram quamdam & egregiam indolem eſſe cognoſcebat. Itaque tanto patrono ſuffragante, cum vix compleſſet XXIV. aetatis annum, ſucceſſit in locum Caroli Datii, qui per illos dies obierat, quique publice in Lyceo Florentino Graecas litteras tradebat. Profecto ad honorem magnus cu-

naventurium, notans locos, in quibus erraſſe videtur Salvinius. Sunt autem hi p. 379. *ubi de Florentino ponte, qui dicitur* S. Trinitatis *loquitur*; pag. 381. *quo in loco ait*, che lo ſpazio o intervallo del ſemidiametro, che ſi dice eſſere la ſeſta parte del cerchio, *& item* pag. 394. *Italicas voces explicans* diſſeſtare *&* affeſtare.

mulus acceſſit vocibus doctorum hominum, qui Salvinium praedicabant digniſſimum, qui tanto viro, cui perpaucos pares ponimus, quemque Varronem Etruſcum vocitare ſolemus, ſuccederet. Aequavit certe praeſtantiam doctrinae illius, minime autem gravitatem morum, cum in aliqua levitate potuerit reprehendi. Atque in iis curis, quas conferebat ad diſcipulorum utilitatem, capiebat magnam voluptatem, quod nullibi videbat ferventius excoli humaniores litteras, quam Florentiae, quae ſemper abundavit optimis praeceptoribus & in qua urbe ipſae litterae poſt diuturnam barbariem renatae, & in omnes terras diſtributae putantur. Dabat & ipſe elegantiae, & omnis doctrinae exempla. Solitus enim frequentare, qui tum maxime celebrabantur, coetus litterarios (Academias dicunt) *Furfureorum*, illorum videlicet, qui Etruſcam linguam colentes vocabulorum pollinem tanquam a furfure ſecernebant, *Apathiſtarum*, quam Academiam Auguſtinus Coltellinius condiderat, & omnium antiquiſſimam *Florentinam*, ſemper aliquid ex ſe promebat, quod alios & erudiret, & delectaret. Italica et Latina epigrammata,

ora-

orationes panegyricae, diſſertationes de rebus, quae vel explanandae, vel in utramque partem diſcutiendae proponebantur, & alia hujuſmodi plura laetae erant ſegetes, quibus paſcebat audientium animos, neque audiebatur unquam, quin ab univerſa corona plauſus multiplex illi daretur. Politior enim elegantia in iis ſemper apparebat, veneres interdum, plerumque nativa quaedam & ſimplex forma dicendi, interdum oratoria ornamenta, & quando res exigebat, interior & recondita eruditio. Quod ad doctrinam ſpectat, quae ſane ſumma erat in illo, optandum fuiſſet, ut diligentius elaboraſſet in ſuis conficiendis Diſſertationibus, & locos, in quibus argumenta incluſa ſunt, ſtudioſius inquiſiviſſet. Non ſemper enim abeſt ab iis jejunitas, ſiccitas atque inopia. Modicum illi quidem dabatur tempus ad ſcribendum, & ſatis eſſe putabat, ſi memoriam ſuam, quam rerum omnium theſaurum dixiſſes, tantummodo conſuluiſſet. Tam facile vero illi erat elegantiſſime ſcribere, quam loqui, ejuſque ſtylus educatus nutrimentis optimorum ſcriptorum, in quibus lucet ſubtilitas veteris urbanitatis, & humaniſſimi ſer-

monis, & diuturna exercitatione expolitus, ita libere fluebat, ut nunquam adhaereſceret. Praegeſtiebat fortaſſe illius animus jam videre, ita de ſuis ſcriptis judicatum iri, quaſi per illa & exornata & etiam aucta plurimum fuerit Etruſca dictio. Et eam quidem ipſis poſteriores Etruſci Lexici conditores auctoritatem tribuerunt, quam obtinent, quae elegantiſſima eſſe putantur. Si quae habent nova vocabula, ſunt quidem parce detorta, & ita convenientia linguae, ut in illius natura inſita atque innata eſſe videantur. Omnino quidquid inde haurias, purum liquidumque te haurire ſenties. Motus fuiſſe dicitur auctoritate Joannis Mabillonii ad illa vulganda, qui quidem judicare poterat de eruditione atque doctrina, minime vero de elegantia Salvinii, qua praeſertim ſuis perplacebat. Conſtant ipſa tribus voluminibus, quorum primum nuncupavit Franciſco Redio, a quo ſingularibus affectus fuerat beneficiis, & a quo plurimum ſe adjutum fuiſſe dicebat ad ingrediendam optimorum ſtudiorum rationem (1). Laudavit ipſum poſtea

(1) *Ita ille*. La gentilezza amichevole di sì gran

ſunebri oratione, in qua quanta vis ſit amicitiae (non enim facile Redio beneficentiorem, generique hominum amiciorem inveniſſes) & quanta eſſe debeat conjunctio illorum, qui ſe litteris dedidere, praeſertim oſtendit. Prodiere aliae a Salvinio laudationes, quae omnes habent, praeter verborum & ſententiarum florem, pompam & dignitatem, non tamen, ſi quid judico, illa eloquentiae lumina, quae ſenſum, quae motum, quae admirationem creant. Hoc eloquentiae genus maxime tum colebatur a Gallis, duce praeſertim Boſſuetio, quo neſcio an ullus fuerit eloquentior, cujus ingenii praeſtantiam ſi minus conſequi noſtrates poterant, voluntate tamen pro-

---

Letterato producitrice ella fu in me unicamente di tutti quei poveri parti dell' ingegno mio, qualunque egli ſi ſia, allevati e creſciuti ſotto la luminoſa ombra di ſua gentil protezione. *Orazione in morte di Franceſco Redi.*

xime accedere debebant. Sed illuc revertor. Salvinius, qui noverat gravia argumenta doċte & ſcienter tractare, ſciebat & ludicra exarare, quando tempus poſcebat. Hoc enim erat in more poſitum Furfereis Academicis, ut quotannis ſaltem ludibundi convivia agerent, quae non tam corpus, quam mentem recreabant. Afferebantur orationes & carmina ad audiendum jucunda, & ſaepe iis luſit Salvinius, quorum nonnulla ſunt in manibus hominum. Erat & aliud ludi genus, in quo ſaepe ſe exercuit Salvinius; ſed iſtud proprium erat Academiae Apathiſtarum. Inſtituta enim erat quaedam oraculi ſpecies, quam Sibyllam vocant, idcirco quia inſubidum temerariumque reſponſum, quod unica ad pueri Sybillae partem agentis libidinem effuſa dictione interrogantibus redditur, a duobus interpretibus ad id deſtinatis ad aptam dubitationis explicationem detorquendum ſit. Salvinius quoties interpretis vice functus eſt, nunquam non ingenii acumen, eruditionis copiam, elegantiam feſtivitatemque dicendi prae ſe tulit, plauſuſque audientium captavit. Haec eſſe deſierunt oblectamenta, nec ſane video

quid in eorum locum ſucceſſerit; ac vereor, ne dum ſolidiora nos quaerere g'oriamur, quaſi velis quibusdam ſegnitiem & ignaviam obtendere ſtudeamus. Dies fortaſſe revocabit majorum inſtituta, quae nunc, abutentes ad omnia philoſophia, tanquam levia & puerilia illudimus. Cum multi & praeſtantes viri laudi Salvinii mirifici eſſent fautores facile ab illo obtinuerunt, ut in vulgus ederet non ſolum quae ſoluta numeris, ſed etiam quae vincta oratione exaraverat. Solidum volumen confecit Italorum epigrammatum, quae, quod quatuordecim verſibus ornate, compoſite & apte ſententiam omnem comprehendere debent, Procuſtae lectum appellare ſolemus, quo in volumine ſane multa ſunt ſapientibus ſententiis, gravibus & ornatiſſimis verbis, & imaginibus agentibus perfecta, omnibuſque ſuis numeris & partibus expleta, quaedam etiam mediocria, quae amicorum poſtulationi, vel ut verius dicam, importunitati concedere ſolebat. Reprehendes, ſi libebit, Poetam, quod ceteris potius delectum reliquerit. quam ut ipſe bonus elector exiſtimaretur, verum minime inficiaberis illum natura & arte ad poeſin

factum fuiſſe, qua in re ſi diligentius elaborare voluiſſet, hoc etiam nomine fuiſſet immortalitati commendatus. Felicior etiam mihi fuiſſe videtur in Latinis epigrammatibus conficiendis, quod nihil in iis ſit, quod non redoleat antiquitatem, imiteturque Graecorum Latinorumque Poetarum veneres. Multa etiam hujuſmodi e Graeco in Latinum tranſtulit, quod illi tam facile erat, quam epiſtolam ſcribere. Sunt alii, qui nunquam manum de tabula, alii, qui repentino quodam, quaſi vento, impetu animi incitati effundunt, quod ipſis in mentem venit, eſt medium inter hos ipſos, quod abeſt tum a tarditate, tum a celeritate, cui ſane nobiliora humani ingenii opera debemus. Porro Salvinius nunquam in illo priori vitio peccavit, in altero ſaepe, nec dubito, quin ſi illi adfuiſſet ſemper conſiderata tarditas in perpoliendis ſcriptis, atque in una re ſeparatim ac diu multumque laboraſſet, admirabiliora ingenii & doctrinae ſuae monumenta poſteritati relicturus fuiſſet. Quanta utriuſque rei vis eſſet in eo conjici poteſt ex adnotationibus, quas helluo librorum in horum marginibus curſim faciebat. Apparebat

autem praeſertim illius acumen atque eruditio ſingularis, cum Graeca & Latina exemplaria aut emendabat, aut explicabat, quorum multa cum adſerventur in Riccardiana bibliotheca, magno illi eſſe ornamento jure meritoque putantur. Quare minime eſt mirandum, ſi nonnulli illi libros idcirco commodabant, ut pretioſiores recuperarent. Homo, in quo erat tanta linguarum peritia, tanta feſtivitas, ſplendor, concinnitudo Etruſcae dictionis, omnium apitiſſimus eſſe judicabatur ad augendum, emendandum, ornandumque Lexicon, quod dicitur *della Cruſca*, qua in re multi alii docti viri diu noctuque laborabant. Symbola, quam ipſe contulit, non mediocris fuit, & Graeca verba, quae reſpondent Etruſcis, etymologiae, multaeque definitiones ex illius officina prodierunt. Haec omnia ludus quidam erant illi, cum memoriam haberet ſummam rerum & verborum. Eſt & aliud genus ſcriptionis (veterum in vernaculam linguam converſio) in quo multum ſe exercuit, quodque in primis adamaſſe videtur, tum ad Graecam linguam Graecaſque litteras amores ſuos provehendas, tum ad declarandum quam copioſa,

quam dives, quam apta eſſet Etruſca dictio ad reddendos non modo ſenſus, ſed etiam verba Graecorum poetarum (1). Ab Heroicis initium ſumpſit, & omnes in Italicum convertit, adhibens verſus hendecaſyllabos, quod liberius fluunt, neque ſimiliter desinentibus verbis indigent. Ex his interpretationibus Salvinii facile quidem judicabis neminem extitiſſe, qui doctior & exercitatior illo fuerit in utraque lingua, iſque, quoties res ſivit, non

---

(1) *Ita ille*. Nell' aſſiduo maneggio delle due lingue Greca e Toſcana, e nello sforzo dell' animo mio, che giuſta mia poſſa m' ingegnava di quelle belle pitture ritrarne con bella gara e 'l diſegno, e 'l colorito e l' aria . . . . ho oſſervato la noſtra lingua nell' abbondevolezza, e nella facilità di ſpiegarſi a quella ricchiſſima e fecondiſſima lingua non reſtare indietro gran fatto. *Paullo ante linguam noſtram commendans dixerat*. Ha unita in ſe la noſtra lingua la maeſtà della Romana colla leggiadria della Greca, e tralle lingue ſue ſorelle, figlie della Latina, ſpicca, non ſo come, a maraviglia, come l' Attica tralla Dorica, e trall' Jonica ne'

appendere modo, ſed etiam numerare verba ſe lectori debere putavit. Non delectat quidem illius poeſis, diſplicet etiam delicatis auribus, quae non titillantur niſi tibiis modulate canentibus, & fidibus numeroſe ſonantibus. Nihilo tamen minus magno in pretio ſunt habendae quotquot idem elaboravit interpretationes (ſunt autem permultae, ut ex indice, qui erit in extrema pagina, apparebit) & ſi me audient Graecae linguae ſtudioſi, eas conſiderate volutabunt, quod nihil perfectius fie-

---

dialetti Greci, de'quali il Dorico largo ha e vaſto ſuono, l'Jonico riſtretto e ſoave, così ella e colla Spagnuola grandeggia, e corteſeggia colla Franzeſe, le virtù dell'una e dell'altra temperatamente miſurate in ſe ritenendo, copioſa poi oltre miſura ed abbondante, come chi in eſſa ſi eſercita ne può far prova, ed io l'ho veduto ne'tanti e tanti Poeti Greci, che per gran vaghezza con oſtinatiſſimo ſtudio di più anni in noſtro verſo ſciolto ho voltati, che niuno degli Eroici a tradurre mi reſta. *Proſe Toſcane Lezione XXII. ſopra la Lingua Toſcana.*

ri potuerit ad exprimenda verba atque ſententias veterum Graecorum poetarum. Hoc enim praecipuum munus interpretis eſſe putabat Salvinius, quod & explevit vel quando ex recentioribus linguis tranſmarinis aliquid in Italicam convertit. Exemplum ſit omnium Anglicarum nobiliſſima Tragoedia ab Adiſſone facta, quaeque *Cato* inſcribitur, quam cum Italicis verſibus reddendam ſuſcepiſſet Salvinius, elegantiam magis tragicae poeſis propriam, quam, ut ita dicam, fidelitatem deſiderari eſt paſſus ſuam. Nihilo tamen minus, illam cum legeris, perplacebit tibi, audienti ſpectantique fortaſſe non aeque, quod & accidit ipſi Britanno poetae, quamvis drama edidiſſet opere mirabili perfectum. Quaedam etiam e Latino convertit Salvinius, & inchoavit multa hujusmodi, ut ſibi potius, quam aliis ſatisfaceret. Ita enim natura comparatus erat, ut lucem ſplendoremque fugeret, quamvis gloria ipſum tanquam umbra ſequeretur. Id non erat ſine multorum aliena laude dolentium invidia, ac praeſertim Cynici illius hominis Antonii Magliabechii, ſoliti non efferre, niſi quod tranſmarinum & citramontanum eſſet. Si ſe ae-

quum praebuiſſet, judicaſſet quidem quae vel ex tempore ſtanſque pede in uno fundebat Salvinius, aut corrigens, aut explicans veteres tum Graecos, tum Latinos ſcriptores, paria eſſe potuiſſe iis, quae commentati erant Caſaubonus, Stephanus, Salmaſius, Meurſius, aliique hujus generis Oedipi. Id unum erat, in quo illum reprehendere potuiſſet, quod non diligentius gloriae ſerviret, conſulens aliorum utilitati. Neque propterea judicabis unquam illum otio, languore, deſidia animum infeciſſe. Tanta enim erat induſtria, tantumque evigilabat in ſtudio, ut nunquam conquieſceret, tanta vero humanitate, ut accedentibus ad ſe ſe, requirentibuſque ejus doctrinam nihil denegaret. Vix credibile videtur unum hominem, quo tempore occupabatur in interpretationibus Homeri, Nonni Panopolitani, Oppiani, Theocriti, Anacreontis, Heſiodi, Ariſtophanis, Callimachi, Theognidis, Procli, Orphei, Anthologiae, Perſii, Virgilii, Horatii, Ovidii, nec non Xenophontis, Plotini, Epicteti, Laertii, Graecam in linguam convertendos ſuſcepiſſe Catullum, Tibullum, Propertium (id ſemeſtrii ſpatio confeciſſe dicitur) nec non Phae-

dri ſabulas, permulta vincta & ſoluta oratione tum Latina, tum Etruſca ſuppeditaſſe Academiis, quas frequentabat, nihil recuſaſſe iis, quis inſcriptiones, laudationes, & omne genus carminum ab illo poſtulabant, magnam dediſſe operam illuſtrandis Etruſcis ſcriptoribus quibusdam, Etruſco Lexico conficiendo, quaerendis linguae noſtrae originibus, & exponendis vitis eorum, qui primi in Provincia poeſin coluere, &, ut alia bene multa ſilentio praeteream, contexendo catalogo codicum manu ſcriptorum Laurentianae bibliothecae, qui quidem catalogus, in quo per triennium cum Franciſco Maria Duccio adlaboravit, a Benedictino Monteſauconio editus fuit. His adde longiores epiſtolas, quas ad amicos dabat de quaeſtionibus ad eruditionem pertinentibus, in quibus varius, multiplex & copioſus eſſe ſolebat. Ille vir acuminis & doctrinae plenus Joannes Clericus, dum Philemonem edebat, cum haeſiſſet in quibusdam locis, ſententiam de iis Salvinii exquiſivit, eoque interprete, quae nimis obſcura erant, claruere. Neque minus illi honoriſcum fuit, quod cum Henricus Brenkmanus é Batavia Florentiam

adveniſſet conſulendi cauſſa Pandectarum codicem ad illius hiſtoriam contexendam, ſe in hoc labore doctum & fidum ſocium habuiſſe Salvinium grate profeſſus eſt. Sane infinitus eſſem, ſi eos omnes nominare vellem, qui ab eo adjumenta obtinuerunt in provehendis litteris, & in Philippi Bonarrotii vita jam tetigimus, hunc Salvinio acceptum retuliſſe quidquid Graeci ſparſit in ſuis libris antiquitatem illuſtrantibus. Mabillonius, Monsfauconius, Regnerius, Menagius, Renaudotus, Baſnagius e Gallis, Spanhemius ac Fabricius e Germanis, qui quantique viri! conſilia interdum ab eo habuerunt plena litteratae ſenectutis. Omnia cum amicis ſibi eſſe communia dicebat, & aliquando miratus eſt Michelius noſter, cum illum conſuleret de iis, quae ſunt in Theophraſti atque Dioſcoridis libris, ſummam illum habuiſſe notitiam plantarum. Prorſus tenebat omne id, quod eſt in Graecis ſcriptis, quae diurna nocturnaque manu volutabat, ne iis quidem exceptis, quae ad res divinas pertinent. Epigrammata quaedam Gregorii Nazianzeni convertit in Latinum, quae a Ludovico Muratorio vulgata fuerunt. Verum cum praeſertim ſuſcepiſſet ſibi perpe-

tuam propugnationem pro omnibus ornamentis patriae ſuae, aderat omnibus iis, qui aliquid optimorum ſcriptorum edere meditabantur, laudabat eos omnes, qui de patria & litteris bene meriti erant, quod munus immemor injuriarum vel ipſi Magliabechio conceſſit, in quo ſane nil laudaſſes niſi memoriam ſingularem & infinitam librorum notitiam, facilemque ſe praebebat in audiendis, admittendis, conſulendis, adjuvandiſque adoleſcentibus, qui parabant aliquid laude dignum. Etruſcae linguae amore captus ejus gloriam ad omnes gentes dilatare ſtudebat, utque internoſcerent ii, qui extra Tuſciam orti ſunt, quando vocales latiore, & ſtrictiore ore ſunt efferendae, quibusdam adpoſitis ſignis in ſua Oppiani interpretatione, eas diſtinxit, viam, ut ipſe ajebat, monſtrans, qua alienigenae Tuſco ſermone exacte loqui cupientes adjutum iret. Parum tamen illi profuit iſtaec cura, ut nec profuit Triſſinio, qui id ipſum molitus eſt. Vereor equidem ne dum Salvinio clari hominis magnique praeconium tribuendum ſuſcepi, ejus laudes minuam, ſtricte nimis recenſens ejusdem ingenii monumenta, nullumque ſequens orationis florem.

Erit, ut audio, qui haec ipsa dilatabit, & poterit facile, cum habeat in manibus, quae ipſe ſcripta reliquit. Neceſſe quidem eſt conſuli memoriae hominis, qui non omnia, quae potuit, edidit, ex quibus ſatis de illius exquiſita doctrina judicari poſſit, quique multos obtrectatores habuit. In his Juſtus Fontaninius (& cui homo, ut vita, ſic oratione turbulentus non fuit inimicus?), Hieronymus Lilius, & Jeſuitae fere omnes. Horum odii cauſſam Jo. Lamius, qui commentariolum de Salvinii vita ſcripſit docte magis quam eleganter, retulit in id, quod Thomae Cevae poema de veteri & nova Philoſophia non admodum probaviſſet, quod Brigae Jeſuitae conatus in Piſanos Doctores damnaſſet, & quod eſſet intimus Dominico Lazzarinio. Quare minime eſt mirandum ſi Lucius Sectanus ſatyris ſuis illum inſectatus eſt, minime reverens reprehenſionem aequorum hominum, quorum unus fuit conſenſus abſuiſſe ſemper a Salvinio vitium captandae malis artibus gloriolae, de quo ipſum inſimulavit. Quid opus habebat his artibus vir tanto nomine, tantaque doctrina, ut neſciam an poſt Politianum, & Victorium

majorem tulerit Etruria? Adde quod in eo nihil erat falſum & ſimulatum, ut omnes hominis ſimpliciſſimi pectus nudum viderent. Non occultabat vel vitia ſua, quibus nemo caret, & quod gaudebat extructis menſis, & frequentibus poculis, id ipſum erat cum amicorum oblectamento, a quibus ad convivia invitabatur, quae exhilarabat feſtiviſſimis dictis, omnique eruditionis copia. Mortuum an. MDCCXXIX. XVI. Kal. Jun. multi laudarunt. Quotquot enim erant Florentiae Academiae illuſtriores, quae ſaepiſſime ejus vocem eruditam audierant, extare monumenta voluerunt, quae poſteritati propagarent praeſtantiam illius doctrinae atque virtutum, & ad exemplum, & ad memoriam laudum patriae, quae ita ſemper floruit litteris, ut in ea ſedem ac domicilium poſuiſſe viderentur. Salvinii vero frater, qui erat e Canonicis Florentinis unus, notus & ipſe ob eruditionis copiam & ob edita ſcripta, haec in illius ſepulcro, quod eſt in S. Spiritus, ut vocant, coenobio, inſcripſit.

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.

Antonio Mariae Salvinio Andreae F. Patric. Flor. Philoſopho Oratori Poetae Praeſtantiſſimo, rei litterariae bono promovendo unice nato, Graecarum literarum in patrio Atheneo annis LIII. *interpreti, & reſtauratori, Etruſci Sermonis amplificatori, complurium linguarum peritia, ac earum ſcriptorum verſione, eruditionis copia lubentiſſime humaniſſimeque in omnes effuſa, ingenii ſui monumentis editis, aliorumque illuſtratis emendatiſque, pietate in Deum, morum suavitate, vitae innocentia, in cives amore, in exteros doctos homines benevolentia toto orbe celeberrimo. Vix. ann.* LXXV. *M.* IIII. *D.* IIII. *Obiit* XVI. *Kal. Jun.* MDCCXXIX. *Salvinus Salvinius Fratri deſideratiſſimo moeſtiſſimus P.*

OPERA EDITA.

Anacreonte tradotro dall' originale Greco in Rima Toſcana: in Firenze nella Stamperia di Ceſare e Franceſco Bindi *1695.* in *12.* *Secundo Salvinius reddidit Italicis verſibus Anacreontem, haecque interpretatio cum aliis illuſtrium virorum edita fuit Florentiae* 1723. *a Joſepho Mannio*.

Teocrito volgarizzato: In Venezia preſſo Baſtian Coleti 1717. in 12. *Quae a Bione & Moſcho ad nos venerunt Idyllia, & hujus quoque epigramma, nec non epigrammata Theocriti vertit etiam Salvinius*.

Iliade e Odiſſea d'Omero tradotte dall' original Greco in verſi ſciolti, in Firenze 1723. per Gio. Gaetano Tartini e Santi Franchi in 8. *In ſecundo volumine extat verſio* della Batracomiomachia e Inni d'Omero.

Oppiano della Peſca e della Caccia tradotto dal Greco e illuſtrato con varie annotazioni, In Firenze 1728. appreſſo il Tartini e il Franchi in 8.

Heſiodi Aſcraei, quae extant, Orphei & Procli Philoſophi hymni, omnia in Italicam linguam translata &c. Patavii typis Seminarii 1747. in 8.

Callimachi Cyrenaei hymni Etruſcis verſibus redditi. Accedit poemation de Coma Berenicis Graece ſuppletum: Florentiae typis Moukianis 1763. in 8.

Nicandri Theriaca & Alexipharmaca Italicis verſi-

bus interpretata: Florentiae ex officina Moukiana 1764. in 8.

Muſaei Grammatici de Herone & Leandro carmen Italicis verſibus redditum: Florentiae typis Caeſareis 1765. in 8.

Coluthi raptus Helenae Italicis verſibus redditus: Florentiae typis Caeſareis 1765. in 8.

Tryphiodori Aegyptii Grammatici excidium Trojae Etruſcis verſibus redditum; Florentiae typis Caeſareis 1765. in 8.

Arati Solenſis Apparentia Italicis carminibus verſa; Florentiae typis Moukianis 1765 in 8.

Carmina Gregorii Nazianzeni totidem Latinis verſibus reddita. *Edita fuerunt a Muratorio inter* Anecdota Graeca. Patavii 1709.

Di Senofonte Efeſio degli amori di Abrocome e di Anthia libri V. tradotti con una cicalata ſopra Priapo: Londra per Gio. Pikard 1723. in 12. *Edidit haec Paullus Antonius Rollius.*

Di Iſacco Caſaubono della Satirica Poeſia de' Greci, e della Satira de' Romani: Libri due tradotti dal Latino in Lingua Toſcana da Anton Maria Salvini. E il Ciclope di Euripide tradotto dal Greco dal medeſimo; Firenze appreſſo Giuſeppe Manni 1728.

Delle vite de' Filoſofi di Diogene Laerzio lib. VI. *Iſtaec interpretatio extat in Parte III.* Dei Diſcorſi Accademici detti nell' Accademia degli Apa-

tiſti; Firenze appreſſo Giuſeppe Manni 1733. *In Volumine I. p. 299. ejusdem operis extat etiam* Manuale di Epitteto. *Loca obſcuriora Philoſophi ipſe quoque obſcure vertit, quia ajebat*, nel volerli talora ſchiarire ſi porta pericolo di far dire all' Autore ciò che non ha mai penſato.

Il Catone Tragedia tradotta dall'Originale Ingleſe; in Firenze per il Guiducci e Franchi 1715. *Pro Adiſſone, qui auctor fuit hujus Tragoediae, extat* tra le poeſie ſcelte di vario genere pubblicate da un Socio Colombario, Firenze 1754. preſſo Gaetano Viviani in 8.

Lettera Apologetica tradotta in verſi Toſcani ſciolti.

Vita di S. Franceſco di Sales Veſcovo e Principe di Ginevra Inſtitutore dell' Ordine della Viſitazione di S. Maria ſcritta in Franceſe da Giacomo Marſellier &c. e tradotta nell'idioma Toſcano da Anton Maria Salvini, Dedicata alla Santità di N. S. Papa Clemente XI. Tomi II. in Firenze 1714. per gli Guiducci e Franchi in 4.

Lamentazioni di Geremia tradotte dal Greco e poi riformate dall' Ebraico, In Firenze 1728. per Bernardino Paperini in 4. *Extant cum Benedicti Menzinii Italica paraphraſi.*

Satire di Aulo Perſio tradotte in Verſo Toſcano, in Firenze appreſſo Giuſeppe Manni 1726. in 4. *In epiſtola ad Lectorem ait Salvinius ſe Virgilium quoque Italicum feciſſe, ſuamque poeticam interpre-*

tationem brevi emiſſurum, quod tamen minime prae-ſtitit.

Traduzione di un diſcorſo di Leone Imperatore in lode di S. Niccolò. *Extat p. 91.* delle Proſe Sacre; Firenze *1716.*

Libanii epiſtolae plures Latine redditae. *Vide quae de Salvinii opera in Libanium narrantur in Praefatione Amſtelodamenſis editionis Libanii Epiſtolarum an. 1738. Inter cetera Wolfius hujus editionis auctor ait*: utriuſque hujus codicis (*ſcilicet Laurentiani*) epiſtolas Ant. Maria Salvinius . . . an. *1695.* deſcripſit, Latine convertit, ac cum praeſtantiſſimo Roſtgaardo communicavit. Idem vero ἀπογραφον, emendationibus Salvinianis hinc inde ornatum, una cum verſione Latina in Italia aere ſuo redemit Jac. Philippus Dorville, vir egregius, qui & mihi pro ſua in me benevolentia utriusque uſum conceſſit. Interpretatio Latina notulis interdum non indoctis inſtructa ita comparata eſt, ut vir doctus verba potius verbis reddere, quam ſenſum clare exprimere voluiſſe videatur. Nihilominus tamen vel ſic in locis obſcurioribus rectius perſpiciendis facem mihi praetulit.

Recenſuimus, quae in vulgus editae fuerunt, Salvinii interpretationes. Multas alias ineditas reliquit, exempli gratia Nubium & Pluti Ariſtophanis, Anthologiae, Q. Calabri Smirnaei, Plotini, Dyoniſii Periegetis, Nonni Panopolitae, Manetonis, Ho-

Digitized by Google

ratii, Ovidii, aliorumque hujuſmodi plurium tum Graecorum tum Latinorum Scriptorum. Non enim facile invenies qui plura in Italicam linguam converterit, ſuoque ſemper more elegantiſſime. Vir omnium prudentiſſimus Apoſtolus Zenus ita de his Salvinii ſcriptis judicavit. Annotaz. alla Bibliot. dell'eloquenza Italiana Tom. I. p. 289. Le traduzioni dell'Abate Salvini vengono dal Greco, dal Latino, dall'Ingleſe, o dal Franceſe, che in tutte queſte lingue di ſue ne abbiamo, ſono e ſaranno ſtimatiſſime, poichè elleno fedelmente *ad verbum* e con purità di favella non ſolo i ſentimenti ne rendono, ma l'espreſſioni ancora degli Autori, da cui ſono preſe, dalla qual ſua, religioſamente oſſervata, fedeltà e riſtrettezza ne viene l'eſſere le medeſime aſpre talvolta e ſcurette e con qualche ſtento; difetti, che come malamente ſi ſoffrirebbono in un Autore, debbono tuttavia perdonarſi a chi, ſiccome egli ſteſſo ſi eſprime, *ama meglio di eſſer fido interprete, che parafraſte leggiadro*.

Diſcorſi Accademici ſopra alcuni dubbj propoſti nell' Accademia degli Apatiſti Tomi III. Firenze appreſſo Giuſeppe Manni 1712. 1725. 1733. in 4.

Proſe Toſcane Parte I e II. Firenze appreſſo Giuſeppe Manni 1715. 1736 in 4.

Proſe Sacre; in Firenze 1716. nella Stamperia di S. A. R. in 4.

Orazione funerale ed elegia in lode di Pier Andrea Forzoni Accolti; Firenze nella Stamperia di Giuſeppe Manni 1720. in 4.

Vita di Benedetto Averani. *Extat in Vol.* II. delle vite degli Arcadi illuſtri; Roma 1710.

Sonetti di Anton Maria Salvini Accademico della Cruſca; in Firenze 1728. nella Stamperia di S. A. R. appreſſo li Tartini e Franchi in 4.

Specimen Adnotationum & emendationum ad oram Diarii Italici Montisfauconiani. *Extat in Vol. VI. Symbolarum Gorii.*

Epiſtola ad Picturae Pictorumque hiſtoriam pertinens. *Extat in iisdem Symbolis Vol. VII. Decad. II.*

Supereſt nunc, ut de Salvinii Scholiis, quae ad aliena ſcripta illuſtranda contulit, dicamus. Cave tamen putes de omnibus nos poſſe dicere, cum innumera pene hoc in genere reliquerit. Neque mediocris pretii haec ſunt. Ex iis, quae in unum Platonem exaravit (extat opus in Riccardiana bibliotheca) intelligi poteſt quam ſubtilis & doctus eſſet annotator.

Scholia in Inſcriptiones antiquas Graecas & Romanas, quae extant in Etruriae urbibus cura & ſtudio Antonii Franciſci Gorii editas Florentiae.

. . . . in Columbarium Libertorum & Servorum Liviae Auguſtae & Caeſarum ab eodem editum Florentiae 1727.

. . . . in Menandri & Philemonis fragmenta Amſtolodami 1712.

. . . . in Hecubam Euripidis. *Edita fuerunt a Mario Guarnaccio cum ſua Italica interpretatione.*

. . . . in Euſtathium. *Vulgavit haec Alexander Politus*, cum ſuam Euſtathii *interpretationem edendam ſuſcepiſſet, Florentiae* 1735. *Vol. III*

. . . . alla Cronica di Buonaccorſo Pitti: Firenze 1720.

. . . . al commento del Boccaccio ſopra Dante. *Extant in Vol. VI. operum Boccaccii editorum Neapoli* 1724. *a p.* 332. *ad p.* 386. *Ex his quidem cognoſci poteſt quam peritus eſſet Salvinius variarum linguarum, & quanta eruditionis vi polleret.*

. . . . al Malmantile Racquiſtato: Firenze 1750.

. . . . alla Fiera e Tancia del Bonarroti; Firenze 1726.

. . . ad alcuni Sonetti del Caſa; Napoli 1733.

. . . . alla perfetta Poeſia del Muratori.

Vide quae Spanhemius attulit in Vol. I. magni operis (*de numiſmatibus*, Londini 1706. in fol.) *quo in loco Salvinium appellavit* virum varia & inſigni doctrina.

Epiſtolas Salvinii, quae huc atque illuc ſparſae ſunt minime commemorandas putamus, ſi unam excipias, qua Ulyſſis tragoediam a Lazzarinio factam pluribus extulit. Extat haec epiſtola inter Lazzarinii ipſius carmina.

Angelus Fabronius.

Francisco Danielo

S. P. D.

SI quis animo cernat, quae Summi Pontifices in condendo jure Eccleſiaſtico ſtatuere, intelliget is, qui tum eſſet Reipublicae ſtatus, quae potentiorum effrenata licentia, quamdiu horum cupiditas compreſſa minime fuerit, & quantus extiterit eorum laudis fructus, ſane ampliſſimus, qui aequis legibus privatorum ablatas fortunas, latrociniis indigniſſimis municipia vaſtata, domos exinanitas, vitae & religionis ordinem everſum, hominesque ex ſervitute in libertatem reſtituere adlaborarunt. Vel apud populum Romanum ea fuit ſuorum Pontificum reverentia, ut jus ab iis, velut ab ipſa juſtitia, poſtularet, hos leges tractare, hos formulas componere, & quae reſponſa dabant inter ſacra ac caerimonias, tanquam Deorum munus, aſſervari voluerit.

Sane quoties ad illius populi ortus, progreſſuſque animum converti, & qua re maxime imperium quaeſiverit, invenerit, retinueritque mecum reputavi, ſemper arbitratus ſum, multum illum virtuti, multum fortunae, plus etiam juri debuiſſe, neque ex initiis tum anguſtis atque humilibus ad tantam magnitudinem ſplendoremque ulla magis re, quam legum religione perveniſſe. Dum hae, virtuteſque illarum comites viguere, incolumitatem libertatemque retinuit Reſpublica, verum dum a legum vinculis ſe laxatos eſſe non moleſte tulerunt homines, vitiorum & virtutum poenis ac praemiis ſublatis, omnis illius populi gloria ſenſim obſcurata eſt & evanuit, nec valuerunt arma ad illam recuperandam. Principium quidem & fundamentum illarum omnium fuit ſapientia illa, quam σοφιαν Graeci vocarunt, de qua vere dixit Ennius apud Ciceronem:

Tollitur e medio Sapientia, vi geritur res,

& qua nihil a Deo uberius, nihil praeſtabilius hominum & imperiorum felicitati tuen-

Digitized by Google

dae datum eſſe omnes facile concedunt. Quae cum ita ſe habeant non dubito, quin mireris, atque etiam ſtomacheris voces eorum, qui Romanarum legum ſtudium tanquam inſulſum ac leve contemnunt, ajentes exiguis terminis illud contineri, plus memoria quam judicio egere, in litteris & in ſyllabis aucupandis verſari, plerumque de ſtillicidio, de fluminibus, de cloaca, de glande legenda, aliiſque hujusmodi ineptiis quaerere, a gubernaculis civitatum una pene voce repelli, excludi ab omni doctrina rerumque majorum ſcientia, ac tantum in judicia ac conciunculas, tanquam in aliquod piſtrinum, detrudi, atque compelli. Vel illa, quae clamatores hujuſmodi odioſi parva ducunt, ſunt ſane magna & praeclara, cum ad lites amovendas, quibus hominum ſocietas turbatur, conducant; nec propterea negligit Juris prudentia majora, ac nullum eſt officium tam ſanctum, tam ſolemne, ac tam auguſtum, cui non conſulat, coercet pecuniae, imperii, libidinum, ac reliquarum cupiditatum flammam, uno juſtitiae officio homines cum Deo conciliat ac jungit, dat inſtrumenta ad animi infirmita-

tes ſanandas, ac virtutem honeſtatemque colendam, factiones reprimit, pacem domi foriſque parit ac retinet, neque minus de re publica, quam de privata bene moderanda adlaborat. Haec reſpicientes Romani Pontifices iis temporibus, quibus nullum certum jus erat, cum omnia penderent a potentiorum arbitrio, ac ſuperſtitio fuſa per gentes oppreſſiſſet omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupaſſet, tanto malo occurri non poſſe putarunt, niſi priſtina redderetur Romanis legibus auctoritas, cogerenturque omnes ii, qui Eccleſiae militabant, iisdem obtemperare. Hinc in veteribus monumentis invenimus nomina multorum, qui pro honore eccleſiaſtico, & more ſacerdotii *profitebantur ſe, ceteris abjectis juribus vel Longobardorum, vel alterius gentis,* lege victuros Romana (1). *Hoc qui guſtaverant jus vel primoribus labris doctiſſimi, qui ſequebantur aequiſſimi putabantur, & cum de*

(1) *Vid. Muratorium,* Antichità Eſtenſi Vol. I. p. 78.

condendo jure Canonico cogitatum eſſet ſaeculo IX. *ab ipſis Romanis Pontificibus, ex eodem fonte magna ex parte illud hauriendum eſſe judicarunt. Sed ita tota ratio temperata eſt, ut Chriſtianae inſtitutiones ſuam vim ſuumque robur obtinerent, ex quibus tantum acceſſit dignitatis iis legibus, quas a Romanis mutuati ſunt Eccleſiae Catholicae ſummi Rectores, ut hominum ſtudia ad ſuas utilitates allicere atque excitare facile potuerint. Tum videre licuit non in Italia modo, ſed & in aliis diſſitis regionibus judicia exerceri ex praeſcriptionibus juris canonici, & Ludovicus ille Gallorum Rex, non tam ſanctitate morum, quam rerum agendarum prudentia clarus, ab illo jure multa ſumpſit, quae ad proprietatem bonorum ſartam ac tectam tuendam, ad juſtitiam adminiſtrandam, ad ſolvenda debita propriorum bonorum vel ceſſione vel amiſſione, atque ad inteſtatorum haereditates adeundas pertinebant.* Jus ipſum Conſuetudinarium, quo regebatur regnum Orientale, *quodque conſtatum fuit exeunte ſaeculo* XI. *totum ferme conſtabat ex canonicis legibus, quae tanto in pretio haberi coeperunt, ut ii ſe bea-*

Digitized by Google

tos putarent, qui illarum imperio ſubjicerentur. Hoc proponebatur praemium iis, qui ſub Crucis vexillo ad loca Chriſti veſtigiis conſecrata occupanda convolabant (1), *hoc fregit avaritiam & audaciam illorum, qui* Feuda, *ut loquebantur, poſſidebant, quique ſanctiora jura ad ſuorum arbitrium libidinemque eludebant, hoc inveteratam quamdam barbariem ex hominum moribus delevit. De hoc jure, ſicuti de civili, quorum arctiſſima fuit ſemper conjunctio, cuſtodiendo & proferendo magnopere curarunt civitatum rectores & conſervatores, quare mirum videri non debet, ſi poſt inventos maxime ſaeculo* XII. *Pandectas non ſolum in Italia, ſed etiam in Gallia, Anglia, Germania tot inſtitutae fuerint cathedrae ad ſcientiam legum explicandam, ut hoc ſtudium omnium ampliſſimum utiliſſimumque eſſe judicaretur. Nos quoque retinuimus majorum noſtrorum conſuetudinem, & haec noſtra Academia, ſiqua unquam alia, optime de Juris*

---

(1) *Vid.* du Cange *voc. Crucis privilegia.*

prudentia merita eſſe videtur, ex qua, tanquam ex equo Trojano praeſtantiſſimi duces, ſic hujus artis antiſtites nobiliſſimi prodierunt, qui non ſolum ad judicandum, reſpondendum atque agendum peritiſſimi fuerunt, ſed etiam conſilio ac ſapientia regere rempublicam potuere. Ex horum numero unus ad vos venit, cujus ſumma poteſtas omnium rerum fuit, quique in ea cogitatione curaque ſemper verſatus eſt, ut Academia Neapolitana diſcipulorum & magiſtrorum nobilitate, Neapolitanumque forum juriſconſultorum prudentia floreret. Horum nonnullos hoc ipſo in opere laudavimus, & quod omnium conſenſione par ſummis eſſet poterat Joſephus Paſchalis Cyrillus, quod etiam te laudatore ac teſte compertum habemus, ejus vitam eo animo declarandam ſuſcepi, ut debitum illius virtuti praeconium tribuerem, tibique ſignum aliquod amoris & grati animi mei impertirer. Vale.

Piſis X. *Kal. Majas* MDCCXCI.

Joſephus Paschalis Cyrillus.

Joſephus Paſchalis Cyrillus patre Petro Cyrillo, Matre vero Tereſia Perilla natus eſt an. MDCCVIIII. Grumi in oppido agri Campani ſatis frequenti, quod ab urbe Neapoli abeſt millia paſſuum IV. In hanc ipſam urbem a patre ſane diligentiſſimo, poſtquam e pueritia exceſſerat, & litterulis illis, quibus pueri ad humanitatem impertiri ſolent, imbutus fuerat, ductus eſt, commendatuſque Nicolao Capaſſio civi & neceſſario ſuo, qui tum ingenii laude, omnique eruditionis genere in primis florebat. Hunc non ſolum ſtudiorum, ſed & omnis vitae ducem & moderatorem habuit, tantumque Capaſſius ipſe adoleſcentulo, in quo erat ingenium docile, come aptumque ad artes optimas, indulgebat, ut is plura a parente expectare minime poſſet. Huic multarum diſciplinarum expoſitis copiis, quaſcunque vellet eligendi poteſtas fuit, libuitque in

una

una Juris prudentia, quaſi tabernaculum vitae ſuae collocare, non illa quidem indotata & incomitata, ſed verborum, & omnis eruditionis dote locupletata atque ornata. Itaque & Graecos & Latinos ſcriptores non ſolum pervolutavit, ſed etiam inſigniora eorum loca memoriae, qua plurimum pollebat, mandavit. Joannes vero Baptiſta de Vico, in quo ſane erant interiores litterae, ſermonis anſas dabat, quo illorum reconditiores ſenſus penetrare poſſet, eumque, dum vixit, libentiſſime ſemper audivit Cyrillus, & ſumma obſervantia coluit. Si qui erant alii, qui anteire ceteros doctrina putabantur, illos ſtudioſe frequentabat Cyrillus, & ſub optimis praeceptoribus Carteſii & Gaſſendi dogmata, quae tum ſola in Italia in honore erant, aſſecutus eſt. Matheſin vero vix a limine ſalutavit, & cum nimium tribueret Graecorum auctoritati, qui metiendi arte Geometriae modum terminabant, Socratis efferebat ſententiam, quae eſt apud Xenophontem (1): *So-*

G

(1) Memorab. lib. IV. cap. VII.

crates geometriam eo uſque diſcendam ajebat, donec quis poſſet, ſi opus fuerit, terram vel recta metiendi ratione accipere, vel tradere, vel diſtribuere, vel opus deſignare. Atque hoc tam poſſe diſci facile, ut qui animum ad dimenſionem advertat, is & ſcire poſſit quanta ſit ipſa terra, & cognita metiendi ratione, diſcedat. Verum in geometria ad deſcriptiones uſque intellectu difficiles diſcendo progredi, plane improbabat. Nec enim quid eae res uſus haberent, videre ſe dicebat (tametſi earum minime rudis erat): poſſe vero ajebat eas omnem hominis vitam occupare, ac ab aliis multis, utilibuſque diſciplinis avocare. Rectius Galileus noſter, dum geometriae miram utilitatem commendabat, ajebat illam vel dimetiendis ineptis hominibus ſufficere. Quod ad Juris prudentiae ſtudium pertinet, nihil praetermiſit Cyrillus, quo adjuvari illa poſſe videtur, notitiam ſcilicet antiquitatis, & illa jura, quae dicimus naturae & gentium, quae hauſit praeſertim ex Grotii et Pufendorfii commentariis. Vix vero dici poteſt quantum, Capaſſio praeſertim duce laboraverit in Romanis legibus noſcendis

addiſcendiſque, quotieſque egebat interprete, omnibus, merito ſane, praeferebat Cujacium, Donellium, & Antonium Fabrum. De Cujacio quidem illud Gravinae ſaepe in ore habebat: *Neque aliquid ignorare per illum, neque ſine illo quidquam diſcere licet*; quare auctor fuit Dominico Gentili vivido ingenio homini, & memoria ſingulari, ut vindicias ſecundum Cujacium adverſus Merillium exararet, quarum vindiciarum ſecundum fragmentum ipſe edendum curavit, & doctiſſima praefatione exornavit. Multa alia judicio & conſilio ſuo faciebat, quae ad famam doctrinae mature colligendam valebant, neque compleverat adhuc XX. aetatis annum, cum juris Pontificii in Lyceo Neapolitano explicandi munus obtinuit. Multos tum habuit competitores, ex iiſque erat unus, cui magnopere ſuffragari videbatur Cajetanus Argentius ſummae auctoritatis homo. Verum hic poſtquam diſputantem audivit Cyrillum (& diſputationes tum quidem habebantur more inſtitutoque majorum ad probandum ingenium & doctrinam candidatorum) ſic ingenium doctrinamque illius ſuſpexit, ut non ſolum ſuffragio ſuo, ſed

etiam amicitia dignum putaverit (1). Neque ita multo poſt juſſus eſt Cyrillus e ſuperiori loco tradere Inſtitutiones juris civilis, cujus in ingreſſu muneris Latinam dixit orationem, ut probaret illius juris ſtudium cum litteris hu-

(1) *Sunt qui narrant Jo. Baptiſtam Vicum tum non modo praeconium, ſed etiam graviſſimum teſtimonium tribuiſſe ingenio, moribus & doctrinae Cyrilli, cum in haec verba allocutus fuiſſet Didacum Vincentium a Vidania Neapolitanae Academiae Praefectum.* Teſtor apud te ſerio, Praefecte illuſtriſſime, hunc adoleſcentem notum mihi a pluribus annis fuiſſe; immo ab ipſa prima ejus aetate meum vel diſcipulum, vel auditorem. Eo omni tempore probis ſe probaſſe, ac mihi in primis ob acre & excellens ingenium, ardorem ſtudiumque diſcendi, atque ita profeciſſe, ut in meliori omni litteratura nulles ſibi aequales habeat in aequali aevo. Addo & moribus modeſtum ingenuumque eſſe, & dignum, quem tales omnes aeſtiment atque ament. Peto igitur, ut ipſum in occaſione adjutum velis; bene locaturus beneficium, quod in eum conferes. Stirpes iſtae fovendae & attollendae ſunt in commune Reipublicae bonum, cui boni omnes ſtudemus.

manioribus eſſe conjungendum, qua neſcio an quidquam fieri potuerit elegantius & doctius. Dixit poſtea alias hujuſmodi orationes, & aliquando auditorem habuit Bernardum Tanuccium, virum, qui tum poteſtate & dominatu omnium rerum (nimium fortaſſe liberaliter) dignus putabatur, quique ſe motum dixit adoleſcentis fama, atque deſiderio addendi illi ſcribendi alacritatem. Poſt haec Cyrillus juſſus eſt municipale jus Neapolitanum explicare, ac demum an. MDCCXXXXVII., cum illud munus per novem continuos annos ſuſtinuiſſet, primariam juris civilis cathedram conſcendit. Per idem quoque tempus juſſu Regis in eadem Academia jus naturae & gentium feriatis diebus docuit. Quas omnes facultates quanta doctrinae copia, quantaque hominum cujuſque aetatis & conditionis frequentia tractaverit, nihil attinet dicere. Commemorandum potius quam tenuerit viam in interpretando jure Romanorum, cujus rei teſtem habemus Aelium Serraum J. C. nobiliſſimum, qui non ut auditam, ſed ut cognitam praedicavit: fuit enim ex diſcipulis illius unus. Ipſam legis ſententiam, inquit ille, quam interpretandam ſu-

ſceperat, fere ad naturalem aequitatem referebat. Hoc enim Romanorum leges ceterarum nationum legibus longo intervallo praeſtare affirmabat, quod nihil ferme in Romana juris prudentia deprehendi liceat, quod non cum ipſa recta ractione, naturalique honeſtate conſentaneum, atque omnino ex uſu eſſet civilis ſocietatis. Expoſitaque ipſius legis ſententia & vi, omnes alias leges tum ex Digeſtis, tum ex Codice, ſive ex Novellis colligebat, quae ad idem caput referri poſſe videbantur. Tum celebriorum Juriſconſultorum ſententias afferebat, ac de ſuo etiam judicium & interpretationem proponebat. Et cum uſuveniret, Pragmaticorum errores in eo, de quo agebatur, redarguebat. Nec unquam niſi ex puriſſimis locis omnia ad quaeque genera quaeſtionum ſumebat argumenta. Quam vero quaeque res vim & poteſtatem haberet, definitione explanabat. Nam vim & analogiam verborum & calluit cum maxime, & ejus ſcientiae adjumento legum germanae ſententiae eruendae plurimum profici poſſe affirmabat, qua in re veterum Juriſconſultorum ſequebatur inſtitutum. Rebus autem explican-

dis maximam item lucem conſpergebat. luminibus ex penu Romanarum antiquitatum petitis, ſine quarum cognitione ajebat numquam inveſtigari poſſe, nec aſſequi Romani juris ſenſum. Quid vero cum Neapolitano jure conveniret pro re nata declarabat, quidque contra repugnaret. Omninoque dum pectus diſcentium complebat bonarum rerum copia & varietate, ſingularem adhibebat verborum & ſententiarum delectum, miramque puriſſimi ſermonis ſuavitatem & leporem. Saepe etiam familiarius ſuis cum diſcipulis, agendo eos exhortabatur ad cultiorum litterarum ſtudium, eiſque tradebat rectam bonarum artium rationem, & quos fontes, quoſque meliores cum veterum tum recentiorum auctores adiret, oſtendebat. Ajebat enim inutilem fore omnem in ſcholis navatam operam, niſi quiſque jugiter domi, inque omni vitae curriculo certam & expeditam in recolendis diſciplinis teneret viam; quod ſane temporius noſſe plurimum intereſſet. Hactenus Serraus de ratione, quam Cyrillus adhibebat in inſtituendis diſcipulis ſuis ad Juris prudentiae ſtudia, quam utinam magiſtri omnes ſequerentur. Tam

vehementer hanc facultatem amplexus erat, ut non facile ferret quidquam illi objici, quod eiusdem dignitatem minueret; quare cum an. MDCCXXXXVI. in vulgus prodiiſſet Muratorii opus de vitiis juris prudentiae, illud, cum ex periculoſo morbo nondum plane convaluiſſet, confutandum ſuſcepit, probans adverſario ſuo, illa Romani juris loca, quae mendoſa ille eſſe ſtatuerat, talia non eſſe, & ſi eſſent, minime illius dignitati officere poſſe. Sane quod a Muratorio objectum fuit, lepore magis elevandum, quam contentione frangendum videbatur, quia dum Juris prudentiam vituperat, illius ſe expertem, aut certe non admodum peritum oſtendit. Sed hominis celebritas fucum facere poterat adoleſcentibus, hiſque conſulendum Cyrillus putavit. Adeo illi curae erat diſcipulorum utilitas, ut illorum cauſſa nullum effugeret laborem. Cum juvenis adhuc eſſet, confecit commentaria in Inſtitutiones tum Juris Civilis Triboniani, tum Pontificii Lancellotti: confecit etiam poſtea in pleroſque Juris Civilis Titulos, quorum pleraque ſunt in manibus hominum. Elegantia, perſpicuitas, brevitas, eruditio, judicium electioque verbo-

rum & rerum, & lucidus ordo haec omnia mirum in modum commendant. Non diffitebatur tamen illorum Auctor in Inſtitutionibus Juris Canonici eſſe quaedam jejune nimis tractata, quae uberius, cum iterum ederentur, ſe perſecuturum ſpopondit. Haud tamen fidem liberavit majoribus diſtractus curis. Quod vero ad commentaria in Inſtitutiones Juris Civilis pertinet, quae minor annis XXIV. exaravit vulgavitque, ac poſtea ornatiora recudit, nihil melius fieri poſſe non noſtri modo homines, ſed & tranſalpini judicarunt, & inſtar omnium erit Burcardi Struvii auctoritas. *Inter tot*, inquit ille (1) *tantaque commentaria Arnoldus Vinnius prae ceteris commendandus maxime juvenibus eſt, qui ſolidiora ſcrutatur acute, inutilia rejicit omnino. Cyrilli Neapolitani Juriſconſulti doctiſſimi commentaria in Inſtitutionibus illud potiſſimum commendat, quod uno eodemque loco haberi poſſit & antiquitatis notitia, & aliqua rerum*

---

(1) Biblioth. Juris §. XIV.

practicabilium cognitio, & *maſculae ſolidioriſque juris prudentiae ſcientia*, *methodo adeo facili perſpicuaque*, *ut nihil preſſius aptiuſque deſiderari queat*. Addere & illud potuiſſet Struvius nonnulla eſſe in Vinnio ſubtilia nimis, quae difficultate illa aſſequendi tardare induſtriam adoleſcentulorum poſſunt, contra ea in Cyrillo omnia eſſe ad intelligendum et explicandum expeditiſſima. Jam nemini dubium eſſe poterat qui quantuſque Juris conſultus eſſet Cyrillus. Itaque Carolus Borbonius, qui utriuſque Siciliae regnum ſuam in ditionem redegerat, ut quod armis ſubegerat, legibus quoque muniret, auctore Bernardo Tanuccio, mandatum dedit viris non magis juris, quam juſtitiae conſultiſſimis, ut in unum corpus, ſive codicem univerſas Regni leges, quae magis ex uſu eſſent, redigerent, hacque in re praecipuae partes eſſent Cyrilli. Huic enim, qui Secretarii nomen habebat, veluti alteri Triboniano impoſitum onus, ut unus, de Collegarum tamen ſententia, totum opus ſeorſum perficeret. Hic omnibus uſus, quibus pollebat vel naturae, vel doctrinae, vel induſtriae praeſidiis, multa plurium annorum ope-

ra leges omnes Neapolitanas ex immanibus illis Conſtitutionum, Capitulorum, Rituum, Pragmaticarum & Reſcriptorum voluminibus, in XII. libros inſtar Juſtiniani Imperatoris Codicis congeſſit ac tribuit, eoque ſelectarum rerum apparatu & concinnitate, atque Latini ſermonis elegantia, ut nihil praeſtabilius fieri potuiſſe videatur. Abſoluto jam prope Codicis dimidio (ad VI. enim libri initium ventum erat) placuit illius conditoribus converti Latina in Italicum, & id quoque onus in ſe recepit Cyrillus. Avidiſſime univerſum opus expectabatur & propter illius utilitatem, & propter opinionem, quam omnes habebant de illius fabricatore. Effecit quidem Cyrillus, ne ſuae partes deſiderarentur, cum quae pollicitus erat, exitu praeſtitiſſet. Nihilo tamen minus, quod ſane miraberis, a regia auctoritate illud ipſum opus minime approbatum fuit, & latuiſſet adhuc in tenebris, niſi ex theſauris a Cyrillo relictis idem deprompſiſſet publicaque luce donaſſet ejus diſcipulus Aelius Serraus. Huic ſane & Cyrilli ſtudioſi & Juris prudentiae Neapolitanae cultores plurimum debent, qui in parvum quemdam & anguſtum locum ſum-

Digitized by Google

mo ordine, ſummaque elegantia, & ſub uno veluti adſpectu concluſa habent, quae diſperſa & infinita eſſe videbantur. Neque Cyrillus ipſe, ut plerique alii fere omnes Codicum ſcriptores, ipſeque Tribonianus, abrupta ac mutilata profert legum capita, & fruſta, ſed ſuccum quodammodo atque integram ſententiam uniuscujuſque legis, ac ſaepius plurium legum ſimul exprimens, inque orationem ſuam convertens, ſcriptionem adhibet continuam, ac propriam, omninoque ſuam: fontes autem unde quaeque lex promanat, ſuis locis indicavit. Hoc ſe debere munus patriae putavit Cyrillus, per quod effici poſſe intellexit, ut ceterae nationes, quae in edendis legum còdicibus noſtra hac aetate laborarunt, in hoc etiam genere Neapolitanis plurimum concederent. Ad hanc juris interpretationem addidit ille cauſſarum operam, quae etſi ipſi moleſta eſſet propter forenſes tricas (atque hinc factum, ut ſero ad forum venerit) quam quod dicendi cogitationem afferebat, ſine qua ad nullam majorem unquam cauſſam eſt auſus accedere, quia tamen haec maxime clamores & admirationes, honores & divitias pariebat, non

negligendam putavit, poſtquam uxore & liberis auctus fuit. In eo quidem perfecti cauſſarum patroni imaginem licuit intueri, ex quo factum eſt, ut veluti Phidiae ſignum, quemadmodum de Q. Hortenſio praedicavit Cicero, ejus ingenium ſimul adſpectum & probatum fuerit, nullaque eſſet cauſſa, quae non ſuo digna patrocinio videretur. Inveniebat acute, dicebat pure & ſolute, pluribus & illuſtrioribus litteris, omnique fere doctrina inſtructus facile, quid in quamque ſententiam dici poſſet, expromebat; cum verbum poterat in duas pluresve ſententias accipi, eo, unde generatum erat, recurrebat, tamque bene origines Latinae linguae callebat, ut facile Vici diſcipulum potuiſſes agnoſcere. Sive de jure Civili & Pontificio, ſive de aequo & bono diſputaret, facile tenebat judicum aures non modo argumentorum, ſimilitudinum & exemplorum copia, & verborum delectu, & ſplendore vocis, & geſtus venuſtate, ſed etiam acumine, varietate, & ſaepe etiam feſtivitate ſententiarum. Intelligebat enim quantum interdum intereſſet breviter arguteque incluſo adverſario laxare judicum animos, eoſque a

ſeveritate paulisper ad hilaritatem riſumque traducere; & poterat facile, cum in illo ineſſet ſpecimen humanitatis, ſalis, ſuavitatis & leporis. Singularis quoque illius fuit ſollertia in pernoſcendis ingeniis ipſorum judicum, quibus accommodabat orationem, tanquam fidibus manum. Cum doctis ſcilicet & ab ſtudio bonarum litterarum eruditis argumenta adhibebat ex reconditioris philoſophiae & cultioris juris prudentiae fontibus hauſta, cum rudibus autem & unius forenſis diſciplinae ſtudioſis, Pragmaticorum teſtimonio & auctoritate, judicatiſque rebus utebatur. Solitus autem erat dicere nullum eſſe argumenti genus, quod contemnere cauſſarum Patronus debeat; fieri enim poſſe, quoniam non omnes eadem facultate ingenii praediti ſunt, ut quod in uno nullam, in alio plurimam vim haberet. Ceterum ejus dicendi ratio fuit adſtrictior & contractior, quealem ſcilicet foro judicibusque non admodum otio abundantibus convenire affirmabat. In cauſſis civilibus, ut plurimum ex ipſa re ordiebatur; in capitalibus autem & criminalibus, quas plures egit, ſemper exordio uſus eſt, quod ex ipſa cauſſa natum vi-

debatur, optimeque cum narratione cohaerebat, nec nimium apparatis verbis, exquiſitiſque ſententiis compoſitum erat. Sive autem Latine, ſive Italice & diceret & ſcriberet, politiorem elegantiam & perſpicuitatem, cui primas tribuebat, confectatus eſt. Sunt in manibus hominum XV. uſque ejus Allegationum (ſic enim vocantur) volumina, ex quibus de illius ingenio praeſtantique doctrina judicari poteſt. Monendos tamen lectores putamus, quas priores ſcripſit, dum otio abundabat, ceteris poſterioribus, dum foro obruebatur, exaratis praeſtare rerum delectu & copia, & verborum ornamento. Sed in omnibus mira ineſt diſtributio, mira diſpoſitio rerum, mira legum & illuſtriorum interpretum cognitio, mira prorſus ars in dicendo quam maxime ad veritatem aequitatemque accommodate. Et quod admirabilius, idem perornatus & perbrevis, ut quod de Craſſo & Scaevola praedicavit Cicero, unus idemque eſſet & elegantium parciſſimus, & parcorum elegantiſſimus. Omnino illi erat perſuaſum, nullam eſſe cauſſam majorem, & rebus plurimis involutam, quin breviori verborum comprehenſione rectiſſime agi

poſſet. Adeo vero celebratum erat in foro Cyrilli nomen, ut ſaepe ii, qui ſemel cauſſa ceciderant, eum ſibi patronum adſciſſerent. Ex quo, ſicuti ex nimia opinione, quam judices habebant de illius artificio, ut non ſatis parati ad cavendum, illo dicente, ſibi eſſe viderentur, factum eſt, ne ſaepe victor ex foro diſcederet. Cum propter aſſiduitatem in cauſſis & induſtriam, tum propter exquiſitius & minime vulgare orationis genus animos hominum ad ſe dicendi novitate Cyrillus convertiſſet, ſaepe ab illo orationes funebres poſtulatae ſunt, ex quibus, ut et ex illis, quas habuit in ſtudiorum inſtauratione, intelligi poteſt fuiſſe in illo omnia naturae et artis praeſidia ad eloquentiam excolendam. Attigit & poeticen, ne expers eſſet illius ſuavitatis; et licet, ſi quis unquam alius, Latinis litteris doctus eſſet, Italicas tamen Muſas, quam Latinas faciliores expertus eſt. Renovabat autem ſtudia humaniorum litterarum quoties a cauſſis publicoque docendi munere ſibi dabatur vacatio, in iiſque libentius conquieſcebat, quod per illas mentis vires refici affirmabat. Levationem vero aegritudinum maxi-

me quaerebat a philoſophia, videbaturque tum exercitatione, tum praeceptis, tum natura ad hanc ſe formaſſe legem, ut minimum animo perturbaretur. Ex quo factum eſt, ut in uxorem & liberos, quam par erat, indulgentior eſſet, & nunquam iraſceretur amicis, nec intempeſtive accedentibus, aut impudenter rogantibus. Profecto nemo illius humanitatem deſideravit, & cum ipſum audiviſſes, facile dixiſſes virtutem copulatam eſſe cum jucunditate vitae, ut ab hac nullo modo divelli ac diſtrahi potuerit. Quae vero tribuebat viris bonis & gratis, ad animi ſui laetitiam magni eſſe affirmabat, & praeſertim in foro alienam rem, ut ſuam, ſemper egit, nulliuſque unquam defuit periculo. Accuſatur a ſuis crimine falſi Onuphrius Roſcius Inarimes Inſulae, quam vulgo Iſclam vocant, Epiſcopus, & cum nemo reſiſtere poſſe videretur petulantiae adverſariorum, unus inventus eſt Cyrillus, qui ejusdem patrocinium ſuſciperet. Ea cauſſa, quae delata fuit ad S. Clarae, ut loquuntur, Cameram, quo concurſu hominum, & qua expectatione defenſa eſt? Et quanquam hoc Cyrillo, cum aliquid accuratius dixiſſet, ſemper

ſere contigiſſet, ut nunquam dixiſſe melius putaretur, tamen omnium, qui aderant, conſenſu judicatum fuit, ceteros a Cyrillo ſemper omnes, illo autem die etiam ipſum a ſe ſuperatum. Quod lumen, quam doctrinae copiam ejus eloquentia non habuit? Itaque clientem ſuum non modo crimine, quo inſimulabatur, liberavit, ſed & in crimen illud adverſarios incurriſſe demonſtravit. Pari felicitate alias diluit criminationes. Quo autem deteſtabilior illorum immanitas & audacia appareret, qui iniuſtum nefariis mentibus boni Paſtoris odium diu retinuerunt, multa de Epiſcoporum dignitate, multa de religione ac caerimoniis diſſeruit, ſicque imploravit judicum fidem, ac ſi in illo judicio univerſae Eccleſiae cauſſa ageretur. Omnibus quidem ſententiis abſolutus eſt Roſcius, nec amplius illius accuſatores eidem negotium faceſſere auſi ſunt. Fuit autem illa, quemadmodum de Craſſo dixit Cicero, tanquam cycnea hominis ſummi vox & oratio. Dicenti enim vehementiſſima contentione animi, ingenii & virium ſudor multus eſt conſecutus, ex quo cum cohorruiſſet, cum febri domum rediit, neque multos poſt dies ſtran-

guaria conſumptus eſt. Id accidit XII. Kal. Majas an. MDCCLXXVI. cum annos complesset LXVII. quo tempore Romam cogitabat, quia ſpe ducebatur ſe poſſe a Pio VI., a quo non multo antea benigniſſime acceptus fuerat, & tentatus etiam ad deſerendam patriam, obtinere, quod Filio utiliſſimum foret. Sepultus eſt in Aede S. Annae, uti teſtamento caverat, ejuſque funus omnes boni & litterarum cultores lacrimis decorarunt. Nemini vero, & vel iis, qui ejus doctrinae celebritatique invidebant, dubium fuit, quin ex illius interitu magnum detrimentum feciſſet Neapolitanum forum, & ſubaccuſare illos videbantur, qui cum ſummos honores, ſummamque potentiam conſecuti fuiſſent commendatione juris prudentiae, inhonoratum (de iis honoribus loquor, qui a Rege tribui ſolent illuſtrioribus Juriſconſultis) eſſe ſiverint hominem, qui omnes fortaſſe ingenio & doctrina ſuperabat. Sed non indiget litterarum dignitas externis hiſce ornamentis; tuetur ipſa ſe ſe, eoſque immortalitati commendat, non qui fortunati, ſed qui doctrina clari & inſignes fuerunt. Tanta porro omnium conſenſione hujus, & praeſertim

legalis vis erat in Cyrillo, ut ille merito *volitet per ora virorum*, potueritque, dum vixit, ſuo jure, paucisque immutatis, dicere, quod ille Apollo Pythius apud Ennium:

. . . . a me omnes . . . . conſilium expetunt
In litteris incerti, quos ego mea ope ex
Incertis certos, compoteſque conſili
Dimitto.

OPERA EDITA.

Oratio habita in Regia Neapolitana Academia &c. cum Civilium Inſtitutionum libros interpretandos aggrederetur. Neap. 1732. apud Felicem Carolum Muſcam in 4.

Ad libros IV. Inſtitutionum Civilium commentarius perpetuus. Neap. excudebat Felix Carolus Muſca Volum. IV. in 4. *Separatim vulgata fuerunt. Tertius quidem liber an. 1737. quartus anno poſt, primus an. 1740. & ſecundus an. 1742. Cum horum epitomen feciſſet Cyrillus vulgavit hoc titulo*;

Inſtitutiones Juris civilis repetitae praelectionis, typis Joſephi de Bonis. Neap. 1756. Vol. II. in 8.

Oſſervazioni di Giuſeppe Paſquale Cirillo pubblico Profeſſor di leggi nell' Univerſità di Napoli ſul trattato di Lodovico Antonio Muratori de' difetti della Giuriſprudenza indirizzato all' Illuſtriſſimo Sig. Marcheſe D. Bernardo Tanucci &c. Nap. 1743. nella Stamperia Muziana in 8.

Inſtitutiones Canonicae. Neap. excudebat an. 1745. Joannes Franciſcus Paci, & Joſeph de Bonis an. 1756. Vol. II. in 8.

Commentaria de jure accreſcendi; de vulgari & pupillari ſubſtitutione; de legatis, & fideicommiſſis; de conditionibus & demonſtrationibus. *Dictaverat haec, cum regeret cathedram Pandectarum, quam obtinuerat an. 1755.* Commentaria de pa-

ctis & tranſactionibus; de reſcindenda venditione; de donationibus; de jure Fiſci; de jure naturali. *Dictaverat haec, cum teneret Cathedram Codicis, quam conſcendit an.* 1747. Neapoli typis et expenſis Vincentii Urſini 1781. Vol. II. in 4. *Cum horum commentariorum autographa obtinuiſſet Michael Leggius, vulgavit ea una cum Inſtitutionibus Civilibus & Canonicis* (Vol. V. in 4) *cum hoc titulo*: *Joſephi Paſchalis Cyrilli opera omnia. Propoſuerat enim ſibi cetera Cyrilli edere, cujus vitam etiam copioſiſſime declaravit.*

Joſ. Paſchalis Cyrilli Anteceſſoris Codicis Legum Neapolitanarum libri XII. cura & ſtudio Aelii Serrai I. C. Tom. I. Neapoli 1789. ex typographia Vincentii Urſini in 4. *Serrajus notis, praefatione, vita Cyrilli, & interpretatione Italica priorum quinque librorum ornavit hanc editionem.*

Allegazioni di Giuſeppe Paſquale Cirillo Primario Profeſſore di leggi nella Regia Napoletana Accademia, ed Avvocato famigeratiſſimo, diſtribuite in più Tomi dall'Avvocato Domenico Bracala. Nap. nella ſtamperia de' Fratelli Paci 1780. in 4. *Harum* Allegationum *prodierunt jam XIV. uſque volumina*; *XV. ceteras habebit cum indice copioſiſſimo. Vulganda quoque ſuperſunt bina alia volumina* di Allegazioni criminali, *ſicque omnia Forenſia ſcripta Cyrilli habebis. Laus quoque illi tribuenda eſt, quod ediderit, & praefatione ornaverit opus Dominici Gentilis, quod inſcribitur:*

Vindiciae ſecundum Cujacium adverſus Merillium Neap. 1739. in 4.

Haſtenus opera edita Cyrilli juridica recenſuimus; reſtat ut cetera perſequamur.

Oratio in obitu Ducis Cajetani Argentii Patritii Coſentini, & S. R. C. Praeſidis, habita in Academia Ducis Annibalii Marchiſii &c. Excudebat Neap. Felix Carolus Muſca 1730. in 8.

Breve ragguaglio dell' Accademia degli Ozioſi inſtituita in Napoli nell' anno 1733. in caſa del Sig. D. Niccolò Maria Salerno Patrizio Salernitano de' Baroni di Lucignano; Nap. 1734. 1. Gennaro per Angiolo Vocola Stampatore dell' Accademia in 8.

Oratio in Regia Neapolitana Academia poſtridie nonas Novembris habita pro ſolemni ſtudiorum inſtauratione; Neap. excudebat Felix Carolus Muſca an. 1737. in 4.

Orazione in occaſione delle nozze del Re Carolo Borbone con Maria Amalia di Saſſonia. Nap. 1738. in 4.

La Conteſa del'e Muſe. *Extat in libro, qui inſcribitur*: In Regis Caroli Borbonii & Amaliae Saxonicae Nuptiis Regiae Neapolitanae Academiae obſequentis officium. Excudebat Neap. Felix Carolus Muſca 1738. in fol.

Le Nozze di Ercole e di Ebe. Componimento Drammatico per le nozze di D. Michele Imperiale Principe di Francavilla, e Lionarda Borgheſe. Nap. 1740. nella ſtamperia di Felice Moſca in fol.

Elogio Funebre a Giuſeppe Pappacoda Principe di Centola e Marcheſe di Piſciotta Cavaliere dell'inſigne ordine di S. Gennaro, Conſigliere di Stato &c. Nap. 1733 in fol. *Paucarum horarum opus fuit iſtud elogium, ut Cyrillus ipſe affirmavit in epiſtola nuncupatoria.*

Elogio Funebre a Franceſco Spinello Principe di Scalea Nap. 1774. in fol.

Curavit Cyrillus recudendos libros, qui inſcribuntur: Le battaglie per la lingua Italiana di Geronimo Muzio Nap. per Felice Moſca 1743. in 8., *&* le Poeſie di Franceſco Lorenzini Nap. 1744. in 8. *Quanto is ſtudio teneretur elegantiarum Italicae linguae Ital caeque Poeſis, ex hoc quidem cognoſci poteſt. Quaedam etiam attigit de Lorenzinii vita, & quae praefatus eſt doctum illum fuiſſe judicem declarant.*

OPERA INEDITA.

Commentaria de Jure Regni Neapolitani. *Dictavit haec, cum praeeſſet cathedrae Juris Muncipalis, quam occupavit an* 1738.

Jus publicum.

Diſſertatio de libertatis venditione.

Diſſertatio de uxoris in manum viri conventione.

Interpretatio in L. II. Cod. de uſucapione pro emptore.

Diſſertatio de ſervitute & contractu.

Obſervationes Juris. *Promiſerat Cyrillus in ſuis Inſtitutionibus Juris civilis ſe hujuſmodi Obſervationes exaraturum, & ex iis, quae reliquit, cognoſci poteſt ſibi propoſuiſſe illas in quinque libros diſtribuere, quorum ſinguli triginta uſque capita continerent.*

Poeſie varie. *Si omnia carmina tum edita, tum inedita Cyrilli colligerentur, ad magnitudinem voluminis pervenire illa poſſent. Permulta quidem eorum ſunt venuſta, elegantia, omnique lepore afſluentia.*

Commedie varie. *Harum quaedam lucem adspexerunt. De his quidem omnibus ita judicavit Leccius* Sed & cum inter ceteras diſciplinas pueritiae tempore imbutus etiam ſcenica circa ſcenam verſaretur, factum ex eo, ut a puero, & ab adoleſcentulo quaedam non infacetae ferantur comoediae, & peream ſi quidquam vidi venuſtius, aut pulchrius. Quin ipſa veluti ſcitarum fabularum argumenta venuſtiſſima fuiſſe narrant, quae ſaepe moderatus fuit in unum Ferdinandi IV optimi Regis, adhuc tamen pueri, ſolatium. Nonnunquam privatis etiam ſpectaculis dulci variaque amicorum laetitia exhibuit, in quibus quot erant perſonae, tot partes κατα φυσιν egit, licet quam quimaxime in callidi deceptoris perſona enituerit. In hiſce vero fabularum ſpeciebus non hos, vel illos hominum civitatumve mores delegit, ſed tales, quos univerſis Europae gentibus convenire

animadvertit, in quibus nunc adſurgit, nunc ſubmittit; nunc protrita, nunc gravidiora dicit; proponit vitia & caſtigat: locos communes τα ἠθικα και πολιτικα admiſcet; non vim, non ſubtilitatem, non amaritudinem, non dulcedinem, non leporem ipſum praetermittit; virtutes etiam ornat. Crederes opera eſſe Plauti, Menandri, Terentii, aliorumque aetatis ejusdem, quos ille,

. . . . . . Stirps ſacra Gratiarum

proximus aemulatur. Ceterum genere dicendi utitur aliquanto pleniore, temperatque ab effuſa illa, quae poetis permittitur, copia ac licentia ſcribendi.

Diſſertazione delle nozze tra Fratelli e Sorelle vietate per dritto delle genti.

Ragionamento ſulle maſchere da Commedia e da Tragedia uſate dagli Antichi.

Diſſertazione de' riti de' Gentili rimaſti tuttavia preſſo de' Criſtiani.

Orazione, in cui ſi dimoſtra, che dopo l'innondamento de' Barbari tutte le buone arti rinacquero e fiorirono in Italia,

Quatuor haec ſcripta recitaverat Cyrillus in Academia Otioſorum. Fertur monumentorum veterum perſtudioſus fuiſſe, & litterarum baſin Popidii Celſini erutam e marmore ſupra Pompejani templi januam poſito, dilucide illuſtraſſe. Auctor eſt Leccius in I-

talicam linguam Cyrillum quoque tranſtuliſſe nonnullas Ciceronis epiſtolas (& Ciceronem quidem non modo amabat, ſed & in ſinu ferebat) & libellum quemdam exaraſſe ad levandas fori curas, in quo puerum loquentem inducit, qui veluti per manum ob altrice aliqua in cujusvis ſortis hominum domus introductus, eorum actiones ſcrutatur. Eo multorum vitia objurgavit, ſaepius acerbos ſales miſcens. Illum morti proximus tradidit ſacerdoti, ea lege, ne unquam emitteretur. Si quis aliter, *inquit*, quocumque fine, aut titulo fecerit, ſacer atque inteſtabilis eſto, & Deus vindicato in ipſo poſteriſque. Caveat.

ANGELUS FABRONIUS

ANTONIO FELICI ZONDEDARIO

PROPAGANDAE FIDEI

SECRETARIO

S. P. D.

Quoniam, lubente Principe, ingreſſi jam ſumus ſcribere Academiae Piſanae Hiſtoriam, cujus primum hoc ipſo anno edidimus volumen, juvat ex illius faſtis eligere homines, quorum vitas litteris mandemus, ad quas noſtra referatur oratio, quando, ut de iis dicamus, res & tempus poſtulabit. Amplius triginta hujuſmodi vitas jam emiſimus, atque hoc nunc te ſcire volo, permultos eſſe non in hac modo noſtra Academia, ſed & in univerſa Etruria, qui de Vincentio Maria Faſſino honorificentiſſimam mentionem faciunt, cum illum unum fuiſſe praedicent, qui plurimorum audaciae atque impudentiae reſiſtere potuiſſet. Valebat porro ingenio atque doctrina, vir fortis & acris, magnique animi erat, & quotieſcunque dicebatur quis male de Chri-

ſtiana Republica mereri, illi hoſtis & inimicus erat, & commemorare malebat ſe cum parcere poſſet perdidiſſe, quam cum perdere poſſet peperciſſe. Sic cum ille vehemens & diligens judex eſſe volebat, animadverſorque vitiorum atque errorum, intelligebat ſibi magno opus eſſe inſtrumento, quod ut pararet, tanta erat induſtria, tantoque vigilabat ſtudio, ut valetudini nihil indulgeret. Inſtructus igitur omni doctrinae copia non dubitavit manus conſerere cum multis, ac praeſertim cum Nicolao Freretio, cujus perdita improbaque conſilia, ac furor exultans eorum, qui, illo magiſtro, catholicae religioni bellum indixerant, niſi reprimerentur, actum fore ajebat non de religionis modo ipſius, ſed & de imperiorum incolumitate. Proh dolor! quot nunc videmus importatas calamitates florentiſſimo omnium regno ab iis, qui ſe falſo philoſophos nominant, quique longo intervallo praepararunt animos ad concipiendos impietatis, infidelitatiſque ſatus! Quid tam perverſum ſceleratumque excogitari poteſt, quam ab Eccleſia avellere ſanctiſſimis moribus, fideque incorrupta adminiſtros, non jam ut ei deſponſam

Digitized by Google

laudem praeripiant, ſe ut locum dent iis, qui divinae legationis caerimonias perfidia polluant, maculaque afficiant? Voſne eam philoſophiam ſequemini, ac probabitis, quae ſuis quemque bonis atque ornamentis ſpoliat, quae privat patriis focis eos, qui majorum ſuorum religioni tot hominum ſanguine, tot vigiliis ac laboribus confirmatae atque defenſae ſe fidem ſervaturos oſtendunt, quae orbat templa omni decore & cultu, & Eccleſias ſuis legitimis paſtoribus, quae ſacras virgines, ſacroſque homines, qui in clauſtris tranquille & ſancte vitam degebant, medias in turbas propellit, quae ſuis ex sedibus convellit Reges, omnemque Reipublicae ordinem perturbat, quae factioſos oratores, indigniſſimoſque furoris omniſque ſceleris ſatellites ac miniſtros ſanctiſſimo virtutis nomine decorat? Haeccine libertas eſt caedes, incendia, rapinas permittere veſanis hominibus, & cogere multos, qui aut imperium, aut gloriam, aut nomen denique populi Gallici ſalvum eſſe cupiunt, alienas quaerere terras, quibus nihil acerbius, quam eorum fortunas diſſipari, quibus olim adjutoribus ſalvum & incolume ſervatum eſt

regnum vel ab externis bellis, vel ab inteſtinis factionibus? Si minus intelligeretur quanta haec mala eſſent, quae tamen per ſe ſe facile intelligi poſſunt, ſatis eſſet comparare tempus cum tempore, & proſperam Regni Gallorum fortunam, qua per plurima ſaecula uſum eſt, cum adverſa, qua nunc conflictatur, quaeque quotidie adeo ingraveſcit, ut ſileant litterae, magiſtratus conticeſcant, fides publica magna ex parte conciderit, ferme exaruerint illi divitiarum fontes, agricultura & commercium, & fatale ſchiſma aut eruperit, aut jam jam erupturum videatur. O praeclaram emendatricem imperiorum philoſophiam, quae flagitii & levitatis auctores, deſertoreſque omnis ſanctioris juris in concilio Deorum collocandos putat! Non poſſumus haec ſine horrore recordari, & niſi civitatum rerumque publicarum rectores providerint (latius enim patet illorum ſcelerum contagio, quam quiſquam putat) ut cohibeatur rerum novandarum cupiditas, ſuuſque honos reddatur religioſis inſtitutionibus, ſero dolebunt ſibi conflatum fuiſſe periculum, nec facile ſanari poſſe malum, quod impietas peperit. Ille ille popu-

lus, qui moderandi & regendi ſui poteſtatem quaſi quasdam habenas ſapientioribus tradidit, cum recuperabit, fruſtra eidem exultanti frenos furoris injicere adlaborabunt. Illius porro non intereſt, quo exitu haec fiant (nil enim tam eſt fatale quam vincula velle rumpere quando plane abiit probitas morum) ſuum dolorem, ſuumque & publicum malum gaudebit. Haec, amicorum ſuaviſſime, tecum agere libuit, ut dolori, quo diſcrucior, ſolamen aliquod afferrem, & hic opportunus viſus eſt locus, in quo de homine ſcribendum ſuſcepi, qui omnia ſua ſtudia omneſque labores ſuos ψευδω *Philoſophorum fraudibus detegendis conſecravit. Vale, & quoniam Summi Pontificis benignitate ſuſtines ampliſſimum munus, cui propoſitum eſt conſulere iis, qui eas tenent regiones, in quibus olim floruit catholica religio, nunc vero vix illius veſtigium apparet, aut age, quod dignum eſt, forti magnoque animo, aut ſi id temporum iniquitate non poteris, mecum lacrymare.*

Piſis ipſo Dominicae Reſurrectionis die MDCCXCI.

Digitized by Google

Vincentius Maria Faſſinius

Vincentius Maria Faſſinius Pedamontanus. Is natus eſt Raconiſii XIV. Kal. Septembris an. MDCCXXXVIII. honeſtiſſima familia & probatiſſimis parentibus Tereſia Roſſetta, & Sebaſtiano Faſſinio, qui ita jus civile exercebat, ut in bonis patronis haberetur. Jactis in patria litterarum fundamentis, datoque Gareſii nomine Dominicanorum familiae, Vincentius operam haud mediocrem navavit primum philoſophiae in coenobio, quod Boſchum vocant, deinde theologiae Novocomi, uſus praeceptore Garibaldio Mediolanenſi. Sed multo majorem fructum cepit ex Academia Bononienſi, quae cum abundaret doctrina & ingeniis, per eam conſecutus eſt Faſſinius, ut Graecas litteras arriperet, ut hiſtoriam antiquitateſque Chriſtianas noſceret, utque ſe ex laqueis Scholaſticorum exueret. Ne nova ſapientiae luce recreatus ex umbraculis in ſolem procederet, impediebat pervicacia praepoſitorum, qui addicti, deditì, obſtricti veteribus ſententiis

conſuetudinibuſque viam ceteris emergendi e tenebris, quantum poterant, obſepiebant. Horum nonnullos patientia atque obſequio mitigavit, quare facile obtinuit, ut Brixiam mitteretur ad docendam philoſophiam. Quinquennium in illa urbe fuit, cum additum oneri explicandae philoſophiae munus fuiſſet inſtituendi ſacris addictos adoleſcentes ad illius genus theologiae, quam Caſuiſticam dicunt. Quia huic non deſunt adverſarii atque obtrectatores, ita partes ſuas agebat Faſſinius, ut fontes theologiae atque ethices, unde ſaluberrima praecepta virtutis & ſcientiae haurirent, diſcipulis ſuis aperiret. Quo vero illus ſententiae tum inclinarent in morum ſcientia conjici poterit ex iis, quae ſcripſit tum Latine, tum Italice de Danielis Concinae collegae ſui vita, hominis duritate ſeveritateque, & odio in Jeſuitas, quos triſti vocabulo moralis corruptores vocabat, in univerſa non modo Italia, ſed etiam ultra montes & maria valde noti ac cogniti. Studia, conſilia, ſententias cogitationeſque illius ſic aperuit, ut materiem dederit Romanis Cenſoribus opus Italice ſcriptum notandi. Nam ut Janſeniſmi culpa Conci-

nam, qua inſimulabatur, liberaret, ajebat iſtud non corpus, ſed umbram eſſe, confictumque a Jeſuitis novum haereſis genus fuiſſe, quo impudentius in viros doctrina & probitate praeſtantes debaccharentur. Coactus quaerere dictorum excuſationem affirmavit librum minime a ſe ſcriptum fuiſſe, ſed a Dionyſio Sandellio, cujus nomen quidem prae ſe ferebat, & hunc parum fidelem fuiſſe in convertendis ex Latino in Italicum ſuis de Janſeniſmo ſententiis. Minime quidem cenſoriae ſeveritatis nota inuſta fuit Latino commentario, quanquam nemo dubitaverit, quin utrumque ex Faſſinii officina prodierit. Erant amici, qui illum hortabantur & ſuadebant, ut cautior eſſet in contentionibus, ſed facile is caleſcebat, & quodcumque conſilium iniiſſet, id ſibi fortiter perſequendum putabat. Poſt haec Ferrariam abiit ſuis theologiam explicaturus. Quando ipſi tempus vacabat a docendo, libentiſſime consumebat Venetiis, requirens maxime conſuetudinem doctiſſimoſque ſermones collegae ſui Bernardi Mariae de Rubeis. Quod hoc non modo, ſed & Caſto Innocentio Anſaldio familiariſſime uſus ſit, iis ſe praeſertim

debere ajebat quidquid in divinarum rerum ſtudiis profeciſſet. Et ſane perpaucos invenies, quos cum iis doctrina & ingenio conferre poſſis. Homo navus & induſtrius, & famae cupidus multa ſeponebat, quibus ad conficiendos libros uteretur, & antequam Brixia diſcederet, cum vulgaſſet commentarium *de ſingularibus Euchariſtiae uſibus apud veteres Graecos*, hortatore de Rubeis, commentarium alterum Venetiis emiſit *de priſcorum Chriſtianorum ſynaxibus extra aedes ſacras*. In his antiquitatis effigiem in eo, quod pertinet ad Euchariſtiae uſum, expreſſam intueri licet; atque ex ipſis maxime diſces, quod etſi effluxerint multa ad nos ex ethnicorum diſciplina, quia ſanctiſſima religione conſecrata fuerunt, veteres Chriſtianos illa retinuiſſe, non ſecus ac ſi ex ſacro quodam auguſtoque fonte manaſſent. Non licet temere atque injurioſe aliquid da majoribus noſtris ſuſpicari; docti enim ipſi ab Apoſtolis, aut ab Apoſtolorum diſcipulis nil niſi conſiderate & ſapienter egerunt vel ad retinendas, vel ad alliciendas hominum voluntates, & optime de litteris ii mereri videntur, qui illorum inſtitutiones con-

ſuetudineſque, & harum origines optimo in lumine collocant. Sed ad haec non mediocri opus eſt eruditione atque doctrina, & quod iis optime eſſet inſtructus Faſſinius, cum illi aliquid hujuſmodi occurrebat, libentiſſime in illud ingenii ſui aciem intendebat. *Me id multo magis movet* (ſcribebat ad me aliquando) *quod eſt ſanctum & antiquum, quam tot recentiorum theologorum jejunae inutileſque concertationes, quare da mihi veniam, ut in nomine tuo appareat commentarius, quem nuper confeci de veterum quorumdam chriſtianorum propriis ſelectiſque nominibus, quoque complexus ſum omnem in hac re majorum noſtrorum morem, ſive nomina ſibi nova chriſtianas virtutes chriſtianoſque heroas exprimentia adſciſcerent, ſive ethnica retinerent.* Malui parum pudens videri, quam amiciſſimi viri non obſequi voluntati, & qui editus liber Venetiis fuit an. MDCCLXXVII. late dimanavit ad exiſtimationem hominum vel eorum commendatione ac judicio, quos antea laeſerat ipſe. Etenim plurima in eo doctrina atque eruditio comparet. Paullo ante quam haec ederet, cum Patuzzii & Concinae moralia quaedam Ve-

netis typis imprimerentur, de iis ita praefatus eſt Faſſinius, ut quae paullo aſperior ac durior a multis eſſe judicabatur doctrina ab his viris tradita, ipſo differente, moderata & ex ſanctioribus ac purioribus theologiae hauſta fontibus appareret. Nihilo tamen minus haud ſcio an melius fuiſſet Faſſinio revocare animum ab hujuſmodi diſputationibus. Non debet enim eſſe ſeverus in judicando, qui alios in ſe ſeveros eſſe judices non vult: praeter quam quod etſi ſeveritas interdum probari poſſit in morum ſcientia, acerbitas nullo modo. Verum ipſe ex hac re maximam laudem ſe capturum ſperabat, ſi collegas ſuos vehementiſſime a Jeſuitis oppugnatos defendiſſet, nec labor, nec periculum erat ullum, quod pro dignitate familiae & honore ſuorum refugeret. Dum enitebatur, ne amicis deeſſet, de Franciſco Ginannio Comite Ravennatenſi ea litteris mandavit, quae declarant fuiſſe illum nomine & memoria dignum ob multas virtutes & ob praeſtantiam in nāturali hiſtoria, quam multis operibus, doctis iis quidem & laborioſis, illuſtravit. Quibus ex ſcriptis cum famam haud mediocrem collegiſſet Faſſinius,

auctor illi fui, ut Academiam Piſanam cogitaret. Nam cum ſubſtituendus eſſet in locum Jadertini hominis Stratici, qui divinos libros interpretaretur, neminem Faſſinio huic muneri aptiorem eſſe putabam, quod noverat Graecam linguam, Hebraicam attigerat, & rerum divinarum ſcientia, critice, omnique ſacra eruditione pollebat. Mihi tamen cum Antonio Mormorajo, quocum communem curam habebam rerum Academiae Piſanae, plurimum certandum fuit, ut Faſſinius voti compos fieret. Tandem an. MDCCLXXII. Leopoldi Magni Etruriae Ducis benignitate factum eſt, ut ipſe inter Piſanos Doctores cooptaretur, venitque omnibus collegis ſuis charus expectatuſque, quod de eo multa ſane honorabilia rumor ipſe pertulerat. Quanquam ſibi gravem adverſariam conſtitutam & paratam eſſe intelligebat, ſummam quamdam expectationem, non tamen animo defecit, & dum adlaborabat, ne diſcipuli ſuam deſiderarent aut induſtriam, aut diligentiam, inducebatur cohortationibus meis, ut auxilium ferret ad Litteratorum Ephemerides conficiendas, utque materiem ſeponeret ad opera contexenda, quae ſibi & Academiae

Piſanae aliquando futura eſſent ornamento. Tantum is quidem evigilabat in ſtudio, ut tum (non enim eamdem ſemper retinuit conſuetudinem) frenis magis, quam calcaribus egeret. Paucorum menſium ſpatio, quod vix credibile videtur, magnum illud volumen compoſuit, quo hiſtoriam Eccleſiaſticam ab Natali Alexandro ſcriptam ad noſtra uſque tempora perduxit. Fecit hoc rogatu Remondinii typographi Baſſanenſis, qui praemia haud mediocria operi propoſuit. Sed cum ubique praeproperam quamdam feſtinationem Auctor oſtendat, utilitati magis ſuae, quem famae conſulere voluiſſe videtur. Illa quidem potiora ſunt judicanda, quae antea adverſus Nicolaum Freretium & Firminum Abauzitium exaravit ad confirmandam tum Apoſtolicam originem Evangeliorum, tum divinam auctoritatem libri Apocalypſeos. Fuere ſane auribus animiſque catholicorum omnium abſurda, quae Freretius, vir cetera doctus, attulit, ut ſuaderet Evangelia fuiſſe conſcripta, poſtquam e vita ceſſerant Apoſtoli, horumque Diſcipuli, hiſque a Chriſtianis tributa, ut majorem illis fidem auctoritatemque conciliarent, ſed neceſ-

ſe erat ſtrenuum inveniri bellatorem, qui armis doctrinae cauſſam catholicae religionis tueretur atque defenderet. Plures id ſuſcepere, ſed quod ceterorum Faſſinio non plane probabatur pugnandi ratio, ſuam quamdam adhibuit. Ex antiquiſſimis enim probatiſſimiſque ſcriptoribus confici id poſſe, quod volebat, putavit. Vere enim Tertullianus (1). *Si conſtat id verius quod prius, id prius quod & ab initio, ab initio quod ab Apoſtolis; pariter utique conſtabit id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſtolorum fuerit ſacroſanctum.* In ingenti campo licuit ſcriptori vagari libere, & patefacere & illuſtrare multa, quae ad ultimorum Eccleſiae temporum hiſtoriam pertinent. Si inveneris, qui acrius cum Freretio pugnare tibi videatur, minime profecto invenies, qui majorem teſtium copiam, quam Faſſinius, attulerit ad impudicam Galli ſcriptoris ceterorumque, quibus uſus eſt impietatis miniſtris (2) impudentiam reprimendam. Qua vi-

(1) Lib. IV. con. Marc. Cap. V.

(2) *Sunt qui tradunt arma Freretio commodaſſe Vol.*

ctoria elatus ſibi & reſiſtendum Abauzitii Genevenſis licentiae putavit; quem & ſi viciſſet, famam optimi propugnatoris eorum librorum, quos in Academia Piſana interpretabatur, quibuſque maxime ſtat res Catholica, ſe aſſecuturum ſperabat. Etenim Abauzitius unicum novi Teſtamenti propheticum volumen minime Joanni Evangeliſtae, ſed vel Cerintho, vel alteri, neſcio cui, maleferiato atque fraudulento homini eſſe adſcribendum contendebat. Tum quoque neceſſe fuit Faſſinio peragrare celebriores Eccleſias ac praeſertim Graecas (de his enim, minime de Latinis ambigebatur) atque ab iis monumenta conquirere, ac teſtes excitare e Paleſtina, Syria, Cappadocia, Cypro, Aegypto, aliiſque Orientis regionibus, qui probarent a primo ſaeculo ad nonum uſque ſe conſtantiſſime agnoviſſe librum apocalypſeos tanquam verum & genuinum S. Joannis Apoſtoli foetum. Quibus optimo in

---

terium, & eos, qui Pariſiis conveniebant apud Olbachium, Amilavillium, Diderotium, alioſque hujus furfuris homines.

lumine collocatis, multas haereticorum fraudes aperuit, qui cum non ſolum impie, ſed etiam indocte ea confingunt, quibus mentes imbutae pravis cupiditatibus, aut non ſatis ad cavendum paratae in errorem inducantur. Jure meritoque dolebat in ea nos deveniſſe tempora, quibus ab hominibus ambitione, malo cultu, praviſque opinionibus corruptis ea texebatur tela, & ea incitabatur ratio cogitandi, ac vivendi, quam parentes noſtri minime tuliſſent; quapropter boni civis eſſe putabat eorum obviam ire conatibus, ſartam tectamque qua voce, qua ſcriptis ſervare majorum noſtrorum religionem, & admonere rerum publicarum rectores, mala vel ipſis fore timenda, niſi ex republica perniciofam ſentinam exhaurirent. Quod nimium interdum effervеſcere culpabatur in illis exagitandis, ajebat non molliter & blande agendum cum hominibus, qui tantum habent in libidine artis & efficacitatis, atque facile ignoſcendum ſi ſe efferret aliquando ad gloriam in refutandis maledictis improborum animi quidam dolor. Quanquam nullam eruditionem eſſe duceret prae ea, quae beatae vitae diſciplinam juvat, libuit tamen illi in-

terdum eruditas quaeſtiones tractare, & quas an. MDCCLXXX. emiſit Diſſertationes de Alexandro Magno ingreſſo Hieroſolyma, antequam ſe ad Hammonis oraculum transferret, & de ejusdem Regis imperii diviſione, habent plura ornamenta, & probabiliter non ſolum oſtendunt, ſed & pene neceſſario demonſtrant, tum Flavio Joſepho, qui illud, tum ſcriptori librorum Machabaeorum, qui hoc affirmavit, fidem omnino habendam eſſe. Curioſum eſt ea ſcire, quae de regum maximo ſummi ſcriptores tradiderunt, atque glorioſum eorum teſtimonia ab reprehenſorum aut calumniis, aut dubitationibus liberare. Nemo enim ignorat quantum nobiſcum rixari ſoleant recentiores haeretici Machabaeorum librorum cauſſa. Quod ſuam gloriam alienis quoque laboribus augeri poſſe putabat, Faſſinius ſtudioſiſſime conquiſivit quae de hiſtoria Theologiae Gallice ſcripſerat Bonaventura Argonnius Cartuſianus homo, eaque cum ab amico obtinuiſſet, typis Lucenſibus evulgavit anno MDCCLXXXV. Eſt hoc non magnum, ſed aureolum opus. Ita enim eleganter, ita docte exponitur in eo divinarum rerum doctrina,

quae obtinuit vel a mundi exordio, & quae continetur aut in ſacris libris, aut in SS. Patrum operibus, ut nihil ad excolendos animos vel eorum, qui divinis ſtudiis minime ſunt dediti, ſed pietatem & religionem amant, & ad concipiendam veram ſapientiam fieri potuerit utilius. Quanquam opus hujusmodi minime doctorem lumen quo deſideraret, Faſſinius tamen praeponendam eidem duxit praefationem, in qua de ſtudio partium in theologicis rebus pluribus diſſeruit. Non integram vulgare illi licuit, quod Cenſoribus viſus eſt interdum magis accuſatorie, quam libere dixiſſe. Talis tamen eſt, ut ſatis prodat cupiditatem & ſtudium defendendae veritatis, & multorum culpandi aut inſcitiam, aut malitiam, quos dum accuſabat, illa Hieronymi ad Ruſticum uſurpare ſolebat (epiſt. 95.) *Scio me offenſurum eſſe quamplurimos qui generalem de vitiis diſputationem in ſuam referunt contumeliam, & dum mihi iraſcuntur, ſuam indicant conſcientiam*. Sane laudandus eſt miles, qui locum nunquam deſerit, & hoſtium impetum vimque minime pertimeſcit; verum Faſſinius interdum inconſtantiae & timoris ſigna dedit,

& inſuetus male audiendi cum aequo minime ferre poſſet animo de ſe ab iis male exiſtimari, quorum paullo ante in caelum fuerat elatus laudibus, de deserenda Etruria cogitavit. Tum pro mea perpetua & conſtanti in illum voluntate ipſi auctor fui, ut hanc mentem abjiceret, & remotus a ſtudiis contentionum otium & tranquillitatem vitae ſequeretur. Licebat ei vivere, ut volebat, cum veniam a Summo Pontifice obtinuiſſet habitandi extra clauſtra, abjiciendique tunicam ceteraque veſtimenta Dominicanorum propria; habebat etiam unde ſumptus vitae neceſſarios faceret, cum ei penderentur ab Academia treceni annui centuſſes, florebat praeterea aequalium amicitiis, & potentiorum gratia, quod magna de ejus doctrina erat opinio; his adde, quod nunquam non benigne ei factum fuerit a Petro Leopoldo Magno Etruriae Duce, qui ejus ordinario muneri novum & addidit docendae Eccleſiaſticae hiſtoriae, & his quidem rebus omnibus, tanquam inſtrumentis, uti poterat ad beate vivendum. Sed quia nemo beatus eſſe poteſt, qui in ſe uno non ponit omnia, & cum effervеſceret ſaepe Faſſinius ſtomacho

& iracundia adverſus callidos & malitioſos homines, & eſſet natura ſuſpicioſus, ſic ut vel ab amicis facile aliquid exiſtimaret eſſe violatum, & malancholia, ut fere ingenioſi omnes, frequenter tentaretur, & interdum etiam turbide & inconſtanter jactaretur, minime tranquille & placide vitam traducebat. Adde quod bonam & integram valetudinem fortaſſe ob nimias in ſtudiis exercitationes amiſerat, & in corpore vel mediocriter aegro facile animus offenditur. Levamenta incommodorum a litteris & a congreſſu familiarium petebat, & janitor nullus abſterrebat a domini domo Faſſinium, quod omnes ejus doctiſſimos ſermones requirebant. Condiebat orationem dictorum factorumque illuſtrium jucunditate; a certo ſenſu et vero judicabat de iis, quae in controverſiam vocabantur, et in quaeſtionibus theologicis maluiſſem mehercule judicium unius Faſſinii, quam multorum, qui peritiſſimi putabantur; explicabat ordinate, eleganter et dilucide ſententias ſuas; veriſſime de editis operibus, quorum magnam habebat notitiam pronuntiabat; & inſidebat in ejus mente ſpecies quaedam eloquentiae, quam tamen

arte (non enim multum in ſtudiis humanitatis verſatus erat) minime excoluerat. Accedebant his forma corporis, & munditia non odioſa, neque exquiſita nimis, quae non minimum commendare ſolent. Sic cum gratus acceptuſque omnibus iis eſſet, cum quibus verſabatur, magnum ſui deſiderium reliquit, dum mortem obiit Id. Quintilis an. MDCCLXXXVII. Quatuor tantummodo dies ex inteſtinis, quae gangraena occupaverat, laboravit, & ut ſe adductum in diſcrimen vitae ſenſit, ſancte executus eſt omnia ea, quae ad expiandos animos divinitus ſunt inſtituta. Reliquit Dominicanis Taurinenſibus, quorum in familiam, vel antequam Piſas concederet, adſcitus fuerat, omnes res ſuas, qui ſi ſe gratos tanto collegae praeſtare volent, curabunt profecto, ut Piſis extet aliquod monumentum, quod poſteris prodat, qui quantuſque vir ille fuerit, & quantum illum boni amaverint, et mali timuerint, utque typis vulgetur, quod perſecerat opus de immortalitate animorum per illa, quae ſunt in Pentateucho expoſita. Nos quidem, quod ejus amicitiae debebamus, officium libentiſſime perſolvimus, et quae de

illo

illo litteris mandavimus, ſi tibi, ampliſſime Praeſul, probabuntur, qui vel ab ineunte adoleſcentia illi haeſisti in medullis, et qui de hominibus et ſcriptis operibus callide et perite judicas, minime laborem conſumpſiſſe arbitrabimur.

OPERA EDITA.

De vita & ſtudiis P. Danielis Concinae O. P commentarius cura & ſtudio V. . . . . F. . . . . . R. . . . . . Venetiis 1762. ex typographia S. Thomae Aquinatis in 8.

Animadverſiones Criticae in dialogos mortuorum Joſephi Colpanii; Brixiae 1766. apud Jacobum Turlinum in 8.

De ſingularibus Euchariſtiae uſibus apud veteres Graecos Commentarius: Brixiae 1769. Excudebat Jo. Maria Rizzardi in 8.

De priſcorum Chriſtianorum Synaxibus extra aedes ſacras commentarius; Venetiis 1770. Excudebat Hieronymus Dorigonius in 8.

De veterum quorumdam Chriſtianorum propriis ſeleƈtiſque nominibus Diſſertatio; Venetiis 1772. apud Antonium Zatta in 8.

De Apoſtolica origine Evangeliorum Eccleſiae catholicae liber ſingularis adverſus Nicolaum Frere.

tum: Liburni 1775. ex typographio Encyclopediae in 4.

Divinae Libri Apocalypſeos auctoritatis vindiciae ex monumentis Graecis adverſus nuperas exceptiones Firminii Abauzitii Genuenſis. Lucae typis Franciſci Bonſignorii 1778. in 8.

Ad R. P. Natalis Alexandri Ord. Praed. Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſupplementum duas in partes diſtributum, in quarum prima opem ferentibus viris eruditiſſimis aliquot Tridentini Concilii decreta illuſtrantur & vindicantur, in altera diſſertationibus hiſtoricis res Eccleſiae & Imperii ſaeculorum XVII. & XVIII. quae in ea hiſtoria deſiderantur, recenſentur, & ad noſtra uſque tempora perducuntur. Baſſani 1778. apud Remondinium in fol.

De Alexandro Magno ingreſſo Hieroſolyma antequam ſe ad Hammonis oraculum transferret, Exercitatio, in qua Flavii Joſephi narratio defenditur; accedit altera de ejusdem Regis imperii diviſione ad caput I. Libri I. Macchabaeorum: Florentiae 1780. apud Cajetanum Cambiagi in 4.

Preface a l'hiſtoire de la Theologie, ouvrage poſthume du Pere D. Bonaventure d'Argonne Chartreux publiè par le P. Vincent Faſſini de l'Ordre des FF. Precheurs; a Lucques 1785. chez François Bonſignori in 4.

HIPPOLYTO PINDEMOMTIO P. V. ET EQUITI

HIEROSOLYMITANO

FRANCISCUS FONTANA

E CONGR. S. PAULLI

S. P. D.

S *Tatim atque triſtiſſimis tuis, & Silviae Curtoniae Verzae, matronae ornatiſſimae litteris, uno tempore mihi redditis, certior ſum factus de obitu Hieronymi Pompeii, in magno illo, atque inſperato dolore cogitare mecum ipſe coepi, quando nullam jam ei aliam gratiam referre poteram, quo potiſſimum ſcriptionis genere illuſtrare amici optimi, atque benemerentis memoriam conarer. Nec vero aut longa, aut difficilis illa mihi deliberatio fuit. Quippe ex recentiſſima epiſtola, quam ultimam ab eo accepi, nedum ſuſpicari facile, sed plene judicare poteram, quid a me officii, ſi quis eſt ſenſus rerum hujusmodi poſt mortem, ipſemet optaret, & ſuo quaſi jure*

ſlagitaret. *Namque Georgii Iulinii vitam a me latine ſcriptam*, *& non multo ante editam Piſis*, *ſe & perlegiſſe lubenter*, *& probaſſe vehementer pro ſua humanitate*, *atque ſingulari in res meas indulgentia ſignificabat*, *meque hortabatur majorem in modum*, ut ab hoc inſtituto ne diſcederem, tali modo amicorum Manibus, quos ob ingenii, virtutiſque praeſtantiam dilexerim plurimum, gratificandi. *Quibus verbis*, *licet maxime vellet*, *inſtantem ſibi propediem mortem proſpiciens ſcilicet*, *non potuiſſet profecto ſemetipſum expreſſius indicare*. *Quis enim eo fuit mihi amicior*, *aut me illi? Cui rurſus ſive ingenii vim*, *ſive copiam*, *delectumque eruditionis*, *ſive religionem*, *pietatem*, *lenitatem*, *ceteraſque ipſe virtutes concedebat? Videbor igitur mihi ejus ſupremae voluntati*, *qua nihil habere antiquius debebam*, *obtemperaturus quodamodo*, *ſi ſuaviſſimi*, *atque amiciſſimi hominis vitam latina explicare oratione inſtituerem*. *Itaque facere in animum induxi*, *neque id ſolum*, *ſed etiam dare operam*, *ut commentariolum meum in Fabronianum illud opus de Vitis Italorum Doctrina Excellentium*,

tanquam in pinacothecam lectiſſimam illuſtrium imaginum, a doctiſſimo aeque, atque humaniſſimo Auctore receptum, clariſſimo tuo nomini liceret inſcribere. Hoc enim pariter Hieronymo noſtro, ſi adhuc ei curae eſt de noſtris ſtudiis, perjucundum fore intelligebam; ut pote qui, dum viveret, ut elegantia, & ſuavitate fruebatur ingenii, ac conſuetudinis tuae, ſic tui nominis ſocietate laetabatur. Quod tum oſtendit maxime, cum carminibus, abs te adoleſcente admodum e Graeco, & Latino converſis, ſua homo jam celeberrimus, ſummaeque auctoritatis ſubjecit, & conjunctim edenda curavit. Atque erant ita illa quidem carmina hujuſmodi, ex quibus non ſolum jam de te bene ſperare ipſe poſſet, ſed plane confideret talem te futurum, qualem tot poſtea, tamque praeclaris operibus & verſu & proſa oratione editis cognitum nunc judicat Reſpublica Litteraria univerſa. Jam vero haec mea conſilia primo quoque tempore, quum ego tecum communicaſſem, tuis illis litteris non ſine fletu reſcribens, & una tecum acerbiſſimum amici communis caſum lugens, non modo utrumque probaſti, ſed etiam alterum juviſti;

pluribus monumentis mittendis, quae ad vitam ipſius declarandam pertinerent, de altero gratias praeterea agere dignatus es verbis amantiſſimis. Quae tua approbatio atque benignitas, non quidem mihi nova, ſed ſane perjucunda, non dici poteſt quam valde ad ea praeſtanda me incitaverit, quae ultro fueram pollicitus. Nec vero alias libentius, quam nunc liberavi fidem meam; jam enim diu excupiebam talem mihi occaſionem, & facultatem dari ſingularis meae erga te benevolentiae, & obſervantiae, non ſolum tibi, ſed ceteris omnibus declarandae. En igitur tibi commentariolum meum, quod initio quidem ſponte mea, poſt invitatu etiam tuo confeci. Tu velim eo animo illud accipias, quo tibi ſiſtitur, ſeu, quod idem eſt, quo te accepturum promiſiſti, benevolentiſſimo ſcilicet, & amiciſſimo; ſi minus ob ſcripti elegantiam, atque doctrinam, quam utramque cave a me expectes, at propterea ſaltem, quoniam civis, & amici tui doctiſſimi, atque ſuaviſſimi imaginem ſummo ſtudio, diligenterque expreſſam exhibet; quod quidem unice & praeſtare poteram, & praeſtitiſſe ſane arbitror. Id utrum confidentius

dicam, quam vere, vehementer expecto judicium tuum. Huic utinam potuiſſem antea ſcriptum ſubjicere, quam proelo! Sed enim alpes tranſgreſſus, ut Gallias inviſeres, atque inde tranſgreſſurus in Britanniam, abes a nobis longius, quam ut id fieri commode poſſit. Tu interim me ama, ut ſoles, & cura, ut iſthaec diuturna peregrinatio, ad augendam lautam illam tuam eximiamque doctrinae ſupellectilem ſuſcepta, etiam valetudini confirmandae plurimum conferat. Haec una ſpes lenire magnum, quo amicos afficis, deſiderium poteſt. Vale.

Mediolani in Collegio Caeſareo
VI. Idus Aprilis MDCCLXXXIX.

HIERONYMUS POMPEJUS.

I. **H**Ieronymus Pompejus, Franciſci Pompeii, & Blancae Brenzoniae filius, Patricius Veronenſis. In hoc dubitamus, major ne fuerit animi, atque morum, an ingenii, ſcriptioniſque candor, atque ſuavitas. Ejus ſine dubio praecipuam hanc laudem ponimus, & plane dignam, quae in exemplum poſteris proferatur. Atque imaginem quidem ingenii ejus atque doctrinae ipſemet pulcherrimam, & immortalem in ſcriptis reliquit ſuis; illam vero conſuetudinis, atque vitae, quam ipſe non potuit, exhibere nos aggredimur. Quo etiam adoleſcentibus, qui litteris dant operam, conſultum in primis volumus. Hi enim, quum viderint, e quibus carceribus in hoc curriculo ad metam idem pervenerit, poterunt in hac tanta judiciorum varietate, ac perverſitate facile, & tuto ſtatuere, qua tandem ſibi inſiſtendum ſit via, niſi velint itinere deerrare. Neque vero veremur, ne actum egiſſe arguamur, propterea quod homines ingenio-

ſiſſimi, & elegantiſſimi illius jam laudes memoriae prodiderunt. Aliam nos quippe, atque illi, rationem inimus. Non enim laudationem contexere, ſed enarrare ejus vitam conſtituimus, omni ornatu orationis, tamquam veſte, detracto, neque illuſtriora tantum perſequentes, ſed quaecumque ad declarandam illam pertinent; idque iis litteris, quibus facilius ad exterarum etiam gentium famam tanti viri, virtutes, in remque publicam litterariam merita dimanent.

II. Natus igitur parentibus, quibus diximus, XIV. Kalendas Majas, anno MDCCXXXI. mature admodum, diligenterque a Jeſuitis latinas litteras edoctus eſt, in quibus fere ſita erat (1) id temporis inſtitutio puerilis. Tantum autem in iis profecit, quantum par erat puerum, cum obſequentiſſimum magiſtris, tum flagranti ſtudio, & ingenio ſingulari. Sed e pueritia exceſſit litterarum noſtratum ferme rudis, dubiuſque animi, quos earum auctores potiſſimum ſequeretur. Namque expulſa jam dudum ſuperioris ſeculi barbarie, conveniebat quidem inter omnes haud temere quoſcumque, ſed optimos dumtaxat evolvendos, imi-

tandoſque eſſe; ſed qui eſſent optimi, nequaquam conveniebat; alii quippe aliis videbantur. Quin etiam non deerant jam tum, qui Apro illo deteriores, quem Tacitus pro aequalibus ſuis adverſus antiquos Oratores diſputantem inducit, non modo veteres prae recentioribus, ſed noſtros omnino faſtidiebant, unoſque habebant in deliciis Tranſalpinos, & juventuti legendos commendabant. Quae quidem haereſis, quum longe lateque poſtea propagata ſit, eo rem jam deductam dolemus, ut paſſim externis oblita moribus eloquentia, vix uſquam nativus ille color, leporque urbanus Hetruſci ſermonis, non adventitius, appareat. Sed Hieronymo, ſive naturali quodam bono, ſive aſſidua latinorum ſcriptorum lectione, verior quaedam inſederat jam germanae elegantiae ſpecies, quam ut hallucinari hujuſmodi commentis poſſet. Atque illud in primis ante oculos habebat, quod ait Tullius, *optimum eſſe unum, & proximum, quod huic ſimillimum*. Itaque latinos Oratores, Poetas, Hiſtoricos, Auguſto aequales, aut paullo ſuperiores, quorum tot eſt ſeculorum conſenſu auctoritas rata, tamquam lapi-

dem lydium adhibere inſtituit, cum iiſque Hetruscos ſtudioſe comparare, ex his vero meliores judicare, qui ad illorum formam accedere propius viderentur. Hac prudentiſſima uſus ratione facile deprehendit, multo nitidiſſimos atque elegantiſſimos fuiſſe, qui ſeculis XIV. & XVI. floruerunt. In his igitur inſiſtere; hos imitari preſſius, ad horum veluti regulam tum ſua, tum aliena recentiorum ſcripta revocare decrevit. Neque hoc loco praeteream, eum a principio Torquatum Taſſum unice ſuſpexiſſe, dum ſine comparatione legit, captum elaborato ſtylo, exquiſitiſque, & nonnumquam ambitioſis poetae, ceteroquin nobiliſſimi, ornamentis. Sed haec minus probata ei fuerunt, ſtatim ac beatiſſimam illam Areoſti copiam, expreſſioremque veritatis imitationem deguſtavit; in primiſque ingenuam ſtyli venuſtatem, facilitatemque condendi carminis feliciſſimam; quae eſt profecto ſummae perfectionis veluti nota, quaeque imitabilis quidem videri ſolet exiſtimanti, ſed nihil eſt experienti minus.

III. Igitur hoc ſpecimen prudentiae, quod eorum ſcriptorum delectum fecerit, quorum

aſſuefactus lectioni, non poſſet ſcribere, niſi pure, & eleganter. Illud vero munus fortunae, quod in ea potiſſimum urbe eſt natus, eaque aetate, quae hominibus affluebat, quorum & conſuetudo, & exemplum nonniſi corroborare, & perficere ejus judicium poterat. Namque hujus adoleſcentia extrema Scipionis Maffaeii attigit tempora, qui bellum gerere cum ſuperiori vaniloquentia, ſuoſque cives ad praeclara quaeque ſtudia & hortando, & docendo, & favendo, quoad vixit, excitare nunquam deſtitit. Itaque non ulla aetate uberior fortaſſe, quam tum, Veronae litteratiſſimorum hominum foetus fuit. Inter quos eminebant praeter Maffaejum ipſum, qui fere in omni doctrina princeps habebatur, Dominicus Vallarſius, Joannes Baptiſta Spolverinius, Petrus Aloyſius Rambaldius, Marcus Antonius Pindemontius, Joſephus Torellius, quorum omnium illuſtria ſunt nomina. Horum tum aetati, tum laudibus ſuccreſcebat Pompejus, inprimiſque cum manſuetioribus se Muſis oblectabat, ad quas eum plane natura formaverat. Quare familiarius multo, quam cum ceteris, vivebat cum Philippo Roſa Morandio,

& poſtea cum Torellio, quorum alter unice poeticen, alter praecipue diligebat, uterque vero elegans apprime, incorruptumque ſcribendi genus conſectabatur. Erat etiam propter vicinitatem magnus ei uſus cum Vallarſio, cujus multae erant & reconditae litterae, praeſertim graecae. Has igitur minime eſt mirandum quod & ipſe avide arripuerit. Fit enim fere, ut adoleſcentes, quem maxime colunt, ad ejus ſtudia inſtitutaque impellantur. Huc accedebat opinio, quam & aſſiduis Vallarſii vocibus, & lectione multiplici penitus imbiberat, ex graecis fontibus elegantiam, eruditionemque cum a veteribus hauſtam olim fuiſſe, tum a nobis potiſſimum eſſe hauriendam. Praeceptorem autem grammaticae graecae Joannem Gulientium Veroneņſem adhibuit, doctum virum e Franciſcanorum familia, quos Conventuales vocant.

IV. Quanta alacritate id negotii ſuſcepit, tanta etiam celeritate & facilitate ſe confecturum ſperabat; ſuo ſcilicet deſiderio potius metiens, quam magnitudine illius. Itaque paucis poſt menſibus, quam ſuſceperat, quum Joannem Antonium Vulpium, qui Veronam

ſorte venerat, inviſeret, eſſetque ab eo percunctatus de ſuis in graeca lingua progreſſibus, juvenili, ut ipſemet narrare erat ſolitus, fiducia reſpondit; ſe plane confidere, nullum brevi fore ſcriptorem Graecum, qui quidquam ſibi negotii faceſſeret. Cui ſenex leniter arridens, eumque complexus, „ macte animo, „ inquit, adoleſcens optime; & perge, ut fa„ cis; quippe iſto impetu, iſto ardore animi „ pervenies, quo ſtudes, aliquando. Ecquid „ enim praeclara mens non aſſequitur perti„ naci labore? Nolim tamen tibi falſo per„ ſuadeas, quod tibi reliquum eſt iter, exi„ guum fore, aut expeditum. Non enim ſi „ quis grammaticen evolverit, aut etiam u„ nam, aut alteram Aeſopi fabellam, vel a„ liquot Luciani dialogos intelligat, idcirco „ arbitrari debet, ſe ſcopulos omnes praeter„ vectum jam eſſe, & in Piraea appuliſſe, „ aut multo minus totam eſſe Hellada perva„ gatum. Experto crede, quo pulchrius, u„ tiliuſque, eo difficilius, & ſalebroſius eſſe „ huiuſce linguae ſtudium, ut pote quae lo„ cupletiſſima eſt omnium; quare infinita pro„ pemodum vocabulorum vis comprehendi

„ memoria debet; atque eſt, ut ejus proverbio
„ utar, Πρωτέως ποικιλώτερα. Incredibile eſt
„ enim, quot ipſa induat vultus, in quot ſe
„ formas vertat, cum pro genere ſcriptionis,
„ tum pro varietate ingenii, patriae, aetatis
„ ſcriptoris cujuſque; ut omittam Poetarum
„ in ſcribendo licentiam, ſive potius artifi-
„ cium, quos quidem, quaſi aliena quadam
„ lingua locutos, Antonius ille, magnus a-
„ pud Romanos orator, licet Atticis litteris
„ eruditus, ne attingere quidem eſt conatus.
„ Nae ego, qui id aetatis ſum, tamque diu
„ has litteras in celeberrimo gymnaſio pro-
„ feſſus, non id mihi ſumerem, quod ipſe bre-
„ vi tibi ſucceſſurum ſperas, ut ad interpre-
„ tandum ſcilicet ex tempore quemcumque
„ locum quis ex quovis Graeco Scriptore pro-
„ poſuerit, paratum me denuntiarem. Quae
„ quidem te moneo, mi Hieronyme, non quo
„ a propoſito deterream, peſſime enim de ſtu-
„ diis tuis, deque litteraria Republica me-
„ rerer, ſed ne forte, quum praeter opinio-
„ nem in difficultatem aliquam, tamquam in
„ ſcopulum, impegeris, id vitio potius tuo,
„ quam rei naturae tribuas, itaque animum

„ deſpondeas, voluntatemque omnem diſcen-
„ di ſimul cum ſpe perdiſcendi abjicias ».

V. Haec graviſſimi ſenis oratio pupugit quidem generoſum Hieronymi animum, non repreſſit tamen, ſed excitavit; eo quippe magis ad properandum ſibi eſſe ſtatuit, quo optatam longius abeſſe metam cognoverat, neque ulli aut induſtriae, aut labori parcendum, dum illam aliquando contingeret. Quum brevi igitur tempore elementa a Gulientio didiciſſet, his non contentus, ſe ad Stephanum Mariottum Sacerdotem Veronenſem applicavit; quo duce, ſingulas tamquam oras graecae linguae, flexioneſque inviſeret, in ejuſque intimos quoſque receſſus penetraret. Habebatur Mariottus omnium graeca lingua doctiſſimus, quotquot e Panagiotti ſchola prodiverant; eumque propterea Maffaejus ipſe poſt hujus diſceſſum, ſi qua dubitatio gravior incidiſſet, oraculi loco consulere erat ſolitus. Sed idem fertur fuiſſe,

Nec viſu facilis, nec dictu affabilis ulli;

quippe qui & cultu obſoleto, & vultu ſub-

tri-

triſti, & difficili erat natura; extremis vero temporibus etiam mente nonnihil captus. Quare ob praeſtantiam graecae eruditionis eum quidem Athenis illis veteribus profectum facile dixiſſes; verum e Stoicorum, aut fortaſſe Cynicorum diſciplina. Hujus tamen aſperitatem ita Hieronymus veritus eſt, ut ſicubi reperire eum poſſet, (neque enim homini lucifugo certa erat ſedes) & jucundus plerumque accederet, & doctior ſemper dimitteretur. Ex quo intelligi poteſt, & quam miti ipſe fuerit ingenio, & quanta diſcendi cupiditate flagraret. Neque vero de commentationibus ſuis graecis non identidem cum Vallarſio etiam communicabat, qui, ut ſupra commemoravimus, princeps ſibi ad id itineris ingrediendum extiterat. Id hoc libentius, credo, faciebat, quod non raro ejus laudes promereretur; quae a tam laudato viro, tamque parco alienae induſtriae laudatore quum proficiſcerentur, maximum ſibi erant laborum levamen, atque incitamentum.

VI. Illud autem in quotidianis commentationibus ſibi proponebat perſaepe, maxime poſtquam ſine cortice, ut eſt in proverbio,

natare poterat, ut quae Graece legebat, Tuſce redderet; atque ita, ut non ſententias modo, ſed etiam verba ſingula, quoad ejus fieri poterat, & numeros etiam diligenter, & pene ſuperſtitioſe perſequeretur. Quae exercitatio, mehercules laborioſa, non ad unam ei rem proficiebat. Nam dum Scriptoris, quem habebat in manibus, virtutes omnes exprimere, atque adeo penitus cognoſcere conabatur, peritior graeci ſermonis evadebat. Rurſus dum eas reipſa exprimebat verbis maxime lectis, & ad noſtrum uſum accommodatis, peritior evadebat Etruſci, ſtylumque exercebat, & ornamenta Graecorum in rem ſuam convertere aſſueſcebat. Quo factum eſt, ut non magis, quae ab iis vertebat, quam quae marte ipſe ſuo elucubrabat, eorum leporem, venuſtatem, elegantiam redolerent. Nec tamen ita ſe totum Graecis tradidit, ut quos jam inde a pueritia adamavit, Latinos deſereret. Quin etiam multo hos libentius, quam antea, lectitabat; poſtea ſcilicet, quam utroſque poterat inter ſe comparare. Ex quo non minus utilitatis capiebat, quam voluptatis. Nam quemadmodum a Graecis pulchriorem naturam,

ſic a Latinis feliciſſimos illos naturae pulchrioris imitatores, qua ratione ſequeretur, ediſcebat; perinde fere atque pictores, ſculptoreſque videndis vel Sanctii, vel Bonarrotii operibus ad miracula antiquae artis probe imitanda excitantur, atque diriguntur. Ex hac autem tam ſolerti animadverſione Scriptorum, quos duae linguae ceterarum magiſtrae aureis ſeculis tulerunt, nec non Italorum melioris notae, non eſt mirandum, ſi acre adeo, elegansque judicium hauſerit, nihil ut poſſet, niſi decorum neque ſcribere ipſe, neque in aliis probare.

VII. Sed licet optimos quoſque graecos Poetas in deliciis haberet, viſus eſt tamen in Theocrito potiſſimum conquieſcere, ſive quod hujus candor, atque ſimplicitas magis ad ejus indolem faceret; ſive etiam quod propter dorici ſermonis difficultatem Bucolicorum Principi, qui illo eſt uſus poſtremo, ut ſit, animum adjunxerit. Solent quippe quae poſtremo, eadem & acerrime animos afficere. Ad hujus normam duodecim Poemata paſtoralia, metri ſuaviſſimi, quas Itali *cantiones* nominant, compoſuit, in quibus Phyllidem, quo

nomine etiam Sanazzarius in Arcadia amores obduxit ſuos, perpetuo alloquitur. Eam nempe ſe deperire ſimulat, licet ingratam, ſibique in amore minime reſpondentem; ob eamque cauſſam modo ejus ſaevitiem, modo levitatem ſuam, modo fortunae improbitatem incuſat. Quas animi commotiones, omneſque cogitationes, & viciſſitudines, quae in amatorem cadere poſſunt, delicate quidem, atque ad vivum exprimit, ſed ut hominem ſanctiſſima Religione obſtrictum decet, ſimul caſtigate adeo, & omni vel umbra nequitiae amota, uti hac in re una a Theocrito differat, cum quidem in ceteris hujus quam ſimillimum ſe eſſe voluerit. Carminum horum lectione mirum in modum amici ejus capiebantur, quibuſcum ea calamo exarata communicabat. Itaque omnes uno ore hortari eum, & flagitare, ut ne vulgare diutius differret, e quibus (2) duo Poetae nobiles id etiam verſibus praeſtiterunt, Franciſcus nempe Capellus Brixianus, & Hippolytus Bevilaqua Patricius Veronenſis, ex Sacerdotum Congregatione, qui S. Philippum Nerium Parentem venerantur. Verum Hieronymus is erat, qui ſi-

bi non ſatisfaciebat facile, atque ut celeriter & primo pene impetu effundere verſus ſolebat, ſic lente admodum, & pluries ad limam revocare. Non igitur illa in conſpectum hominum venire antea eſt paſſus, quam ſibimet adeo expolita, libereque fluentia viſa ſunt, ut qui legeret, facile idem efficere ſe poſſe confideret, ſed expertus ſudaret multum, fruſtraque elaboraret. Quam facilitatis ſpeciem, quae eſt quidam elegantiae veluti flos, ſe & conſectatum, & aſſecutum eſſe, dum ipſe gloriatur (3), non ſane mentitur, ſic enim ſe ſe res habet.

VIII. Edidit igitur tandem anno MDCCLXIV. libellum, omni venuſtate graeca affluentem, in quem, ut (4) unde profecerit, viderent omnes, praeter Odas illas ſuas paſtorales ſex Theocriti, & bina Idyllia Moſchi congeſſit, a ſe Italicis verſibus expreſſa, & adnotationibus ornata. Adnotationes & quam diligens ipſe eſſet criticus oſtendunt & quam graeci ſermonis litterate peritus. Interpretationem vero qui graece ſciunt, ipſimet videre; qui neſciunt a Joſepho (5) Pagninio, cujus in hac re tanti eſſe ju-

dicium debet, quanti in qualibet arte illius hominis, qui ea maxime praeſtat, diſcere poſſunt, & valde *pulchram* eſſe & *fidelisſimam*, proindeque numeris omnibus abſolutam. His quippe duabus virtutibus amplius in arte interpretandi nihil eſt. Atque earum alterutram qui ſint aſſecuti, multos reperies fortaſſe; qui utramque, non item; ita ut Huetius in ſuis de Interpretatione commentariis ne fieri quidem poſſe pronunciet, ut quidquam ex alia in aliam linguam bonis verſibus exacte convertatur. Id tamen Hieronymo ſucceſſiſſe minime eſt mirandum, homini tali ingenio, tanta linguae utriuſque ſcientia, tamque diu, & diligenter in hoc genere exercitationis verſato. Cujus diligentiae, aut potius patientiae tandem fructum tulit. Nam exemplaribus ejus libri vulgatis, magni undique ſunt ei plauſus impertiti, cum ab aliis litteratis viris pleriſque, e quibus duo illa Bononiae lumina Zanottum, & Ghedinum minime praetercam, tum in primis ab Alexandro Albano Card., eruditiſſimo illo, ac ſplendidiſſimo omnis politioris antiquitatis cultore & patrono, cujus etiam nomini erat editio

inſtituta. Quare eam jam tum ipſe famam apud optimos harum deliciarum aeſtimatores collegit, quam confirmare quidem inſequentibus, & extendere latius potuit, adaugere non potuit.

IX. Per id tempus nobiles quidam viri, feminaeque primariae Veronenſes in Tragoediis agendis, animi cauſſa ſe exercebant, ampliſſimo eo loco, quo conveniunt Philarmonici, in theatri ſpeciem, ſcenis pulcherrimis apparato. Hoc autem ſpectaculi genere magnopere quum delectaretur Hieronymus, qui quidem, quo minus doceret fabulas, rei difficultate ad id temporis deterritus fuerat, tum in animum induxit tandem experiri, quid in hac re poſſet efficere. Ac quemadmodum civis ſuus Scipio Maffaejus Euripidis Craeſphontem, qui injuria temporum interiit, in ejus Merope ab inferis, ut ita dicam, excitaverat, ſic ipſe ſua Hypermneſtra excitare Lynceum voluit; cujus quidem fabulae veteris nihil reliquum eſt aliud, quam quae de ea in Ariſtotelis Poetica ſit mentio. Hanc igitur ad Graecorum lucernam elaboratam Actores nobiliſſimi eodem ſplendore, quo ſolebant, & majori etiam

quam ſolebant, ſtudio exhibuerunt; quippe qui non magis ſuae, quam communis amici exiſtimationi inſerviebant. Primas autem tuliſſe duas matronas ipſemet Hieronymus memoriae prodidit, Mariannam ſcilicet Malaſpinam, & Thereſiam Pellegrinam; quibus proinde & vivis, & mortuis gratiam retulit. Nam & vivis tragoediam ipſam eleganti epigrammate inſcripſit, & mortuas ode ſuaviſſima (6) utramque deflevit. Quod autem his unice, aut maxima ex parte acceptos referat & plauſus, & fletus, quos quum ageretur Hypermneſtra excitavit, id ab eo & modeſte, & urbane dictum eſſe interpretamur. Eſt enim hujuſmodi compoſitio ipſa, & ſtyli elegantia, & affectuum repraeſentatione, & totius fabulae ſtructura, in primiſque artificioſa admodum, & ſimul commodiſſima nodi ſolutione, uti, remoto etiam ſpectaculo, delectare debeat, & commovere. Quare quum anno poſtquam Veronae prodiit in ſcenam, ſcilicet MDCCLXVII., in vulgus etiam prodiiſſet, ejus exemplaria per Italiam exſpectabantur, legebanturque avidiſſime. Ubicumque vero locorum acta fuit (fuit autem in plurimis urbi-

bus nobiliſſimis) non ſolum quum daretur nova, ſed etiam pluries repoſita ſemper oculos ſpectatorum tenuit. Immo id ei accidit Bononiae, quod neſcio an unquam alibi dramatis a cantu ſejunctis, ut ſcena vix recitata, ubi Hypermneſtra, & Lynceus inter ſe colloquuntur, magnis theatri clamoribus Actores revocarentur in proſcenium, juberenturque eam repetere.

X. Hoc ſucceſſu confirmatus Hieronymus, ut Tragoediae etiam alterius generis, quae ſcilicet triſtiſſimum haberet exitum (nam Hypermneſtra in laetum vertit) ſpecimen daret, Calliroen fecit, argumento a Plutarchi vitis, quarum erat ſtudioſiſſimus, deſumpto. Hanc eodem modo, atque illam, ſpectandam Veronenſibus primum dedit; dumque ea ageretur, inſtar Apellis, qui poſt tabulam latitans, opera ſua in pergula proponebat praetereuntibus, vitia, quae notarentur, auſcultabat, ut emendaret. Deinde acri lima perpolitam anno MDCCLXIX. Clementi Venceslao Electori S. R. I. & Archiepiſcopo Trevirorum muneri miſit, in ejuſque nomine divulgavit. Atque hanc quoque certior amico-

rum litteris factus eſt pluribus in locis actam fuiſſe ſtatim, & plauſoribus aulaea manentibus nuſquam caruiſſe. Nihilo tamen magis gloria erat contentus, quam his ſibi tragoediis comparaverat. Quin etiam hanc nihili prae illa faciebat, quam ſibi videbatur comparaturus fore, ſi iterum ingenii ſui in theatro periculum feciſſet. Namque ad doctrinam, jam pridem exemplis veterum, praeceptiſque partam, quum uſum praeterea adjunxiſſet, intelligebat ipſemet, neque amicis diſſimulabat, aliquid in utraque eſſe, quod fieri melius poſſet. Quid autem id ſit, aſſerere non auſim; non enim ipſe palam fecit; tamen & ſuſpicari poſſum, neque praeterire, ut hiſtoricus, debeo. Primum igitur mihi videtur in Graecorum veterum, a quibus in ſcribendo oculos dejiciebat nunquam, imitandis moribus nimius fuiſſe. Nam & oracula, & ſomnia & fabuloſos heroicorum temporum eventus uſurpat, & ſaepius interſerit. Quae ſane omnia nullam modo, ne apud vulgus quidem, habent anctoritatem. Quin etiam ita a ſenſu ac more noſtro abhorrent, ut veriſimilitudini neceſſario aliquid detrahant. Praeterea ejus

dictio non ſatis tragicum illud neſcio quid ſonat plerumque, quod vel in Oratore, quum ad affectus concutiendos ventum eſt, requiritur. Nec mirum; nam ipſum Theocritum non puto, ſi pera & fiſtula poſitis, cothurnos induiſſet, continuo Sophocleum illum ſonum, majeſtatem, copiam fuiſſe conſecuturum. In eum igitur illud ipſum quadrare videtur, quod Fabius affirmat de Pomponio Secundo, Tragicorum, quos viderit, longe principe: *quem* ſcilicet *ſenes parum Tragicum putabant, eruditione, ac nitore praeſtare confitebantur*. Haec duo potiſſimum ſunt, quae, niſi conjectura fallor, in ſuis tragoediis homo ſummus ſcriptorumque ſuorum cenſor prudentiſſimus minus probabat, habebatque in animo, ſi novas docuiſſet, corrigere. Quid autem cauſſae ſit, quare id non praeſtiterit, immo ne ediderit quidem Thamiram, quam abſolverat, incompertum eſt. Niſi quis eum de Mariannae Malaſpinae obitu flentem, vere dixiſſe, non poetico quodam more (7) arbitretur, hac jactura uſque eo ſe perculſum fuiſſe, ſibi ut ars illa in odium venerit, quae fuerat prius multo jucundiſſima.

XI. Mihi veriſimilius videtur docere fabulas deſiiſſe, totum ut ſe ad Plutarchi vitas, quae *Paralleli* vocantur, vertendas conferret, quas ſtudioſe, ut ſupra diximus & diu volutaverat. Neque ſane res ulla erat dignior, meo judicio, in qua ſuam ipſe induſtriam exerceret. Nam cum omnia Plutarchi opera vi quadam judicandi, & omnigena eruditione magni fiant, tum hoc unum profecto, de quo loquimur, & copia rerum, & utilitate exemplorum, & ſalubritate ſententiarum, & varietate morum, ingeniorum, locorum, temporum, quae deſcribuntur, propemodum infinita, longe ceteris antecellit. Graecorum quippe, Romanorumque res geſtas inſigniores nobilioreſque hiſtorias per annos amplius mille & quingentos complectitur. Tot enim a Theſeo, unde exordium ſumit, uſque ad Othonem Auguſtum, in quem deſinit, numerantur; ab anno ſcilicet ante Olympiadas DCCXXXVII. uſque ad primum Olympiadis CCXII. Quamobrem huc reſpexiſſe potiſſimum Theodorum Gazam facile crediderim, quum interrogatus, ſi quo fato ſcripta Graecorum omnium perire, praeter unius, eſſet neceſſe,

cujus ipſe, ſi optio daretur, ſervanda judicaret, Plutarchi dicitur reſpondiſſe. At opere tam utili, atque praeclaro noſtra adhuc carebat lingua. Non enim aliquo ſunt in numero interpretationes, quas habemus, ſive Jaconelii, ſive Sanſovinii, ſive Dominici; utpote quae, ut cetera omittam, aut ab exemplari graeco nequaquam expreſſae fuerunt, aut imperite prorſus, & oſcitanter; ita (*a*) extra modum abſonae ſunt, atque abſurdae. Ad bonum igitur, & decus litterarum noſtratum intererat magni, ut unus aliquis reperiretur tandem, qui ad hanc ſpartam ornandam ingenii, doctrinaeque quantum eſſet ſatis, magnamque graecarum litterarum, & etruſcae facundiae ſupellectilem afferret. Quod cum animadverterint Patricii Veneti, rei litterariae Triumviri, id negotii Melchiori Caeſarotto

(*a*) Neque ſecus eſſe poſſunt cum e latinis interpretationibus expreſſas eſſe conſtat Lapi, Acciajolii, aliorumque, de quibus ſic Eraſmus XXVI. 60 Epiſt. *Quae portenta deprehenduntur in his, quae verterunt Itali ex vitis Plutarchi!*

dederant, ut cum optima quaeque Graecorum, tum in primis Plutarchi vitas in vernaculam transferret. At Caeſarottus alia quidem complura tranſtulit, & transferre ſumma cum laude pergit, Plutarchi vero curam abjecit omnem ſtatim atque audivit, non modo rem ultro ſuſcepiſſe, ſed fere jam perfeciſſe Pompejum; non dubitans, ut ipsemet litteris ad eum datis ſignificavit, quin ejus opus numeris omnibus abſolutum, & ſummae, quae jam exierat, famae par omnino eſſet futurum. Celeberrimi viri judicium exitus comprobavit, quippe cum fuerit hujuſmodi, ut non dicam Amioti interpretationem, celebrem illam quidem, ſed erroribus adeo ſcatentem, ut unus Claudius Gaſpar Bachetus Meziriacus ad duo millia ſe deprehendiſſe glorietur, verum illam quoque Dacerii, multo accuratiſſimam, non amplius Gallicae linguae invideamus. Atque in opere tam longo aliquid quidem ipſe de illius legis ſeveritate remiſit, quam ſibimet in vertendis brevibus poematis impoſuerat, non ſolum utendi virtutibus eorum omnibus, ſed verbum pene reddendi pro verbo. Id tamen ipſum & perraro facit, quando neceſſitas po-

ſtulat; atque ita, ut ſi minus verba ſingula ſunt e graecis converſa, ſint certe omnia ejusdem vis, atque generis. Nihil igitur ejus interpretatione accuratius. Sed etiam nihil elegantius. Qua ex parte vel ipſum exemplar ſuum tantum non ſuperavit; ſi modo fides doctis hominibus habenda eſt, qui Plutarchi dictionem, ut duriuſculam reprehendunt, & non ſemper parem ſibi, quippe cum de rebus magis, quam de verbis laboraverit. Contra Hieronymi ſemper eſt ſtylus purus, atque elegans, & cum dignitate quadam, & perfecto illo, completoque verborum ambitu, quo Itali melioris aevi delectabantur, perſpicuitatem, qua nihil ei erat potius, & nitorem ſingularem conjungit. Habemus igitur aliquando Plutarchum ſic etruſce loquentem, ut qui legunt, non multum deſiderent ſua utentem lingua audire.

XII. Totum opus tributum eſt in quatuor volumina, quorum primum prodiit anno MDCCLXXII. In hoc legi digniſſima ſunt, quae interpres praefatur de varia, eximiaque Plutarchi praeſtantia, de ratione a ſe in ejus vitis convertendis inita, & de interpretum tan-

dem dignitate, qui nullo diſcrimine, *tamquam remiges, aut bajuli unius cujusdam operis*, ut loquitur Caecilius, ſolent a nonnullis per ſummam injuriam traduci. Neque vero non eſt, etiam digna, quae legatur ornatiſſima epiſtola ad Ferdinandum Borbonium, Parmenſium Ducem, qua Regias tam Auguſti Mecoenatis laudes celebrat, & ſe, ſuumque opus patrocinio commendat. Reliqua volumina anno conſequente prodierunt tanta quidem Italorum omnium approbatione & tamquam plauſu ut etiam nunc quum Plutarchi interpres nominatur, κατ' ἐξοχὴν Pompejum intelligamus. His vero voluminibus a docto quodam homine atque nobili, cui ſuum ſupprimere nomen placuit, quintum adiectum eſt, in quo praeter ipſius Plutarchi vitam e Gallica Dacerii converſam, plures indices continentur, quorum duo praeſertim ſunt utiliſſimi. Nam in altero catalogus rerum inſigniorum, quae in vitis Plutarchi occurrunt, in altero annorum ſeries ordine attexitur, quibus quaeque acciderunt.

XIII. Quinquennium cum in hoc opere integrum (8) conſumpſiſſet, ad Muſarum o-

tium

tium ſe retulit, tamquam in jucundiſſimum quoddam diverſorium, ubi ab itinere tam longo conquieſceret. Neque difficile ei fuit in gratiam cum Muſis redire, quas tantum abeſt ut iratas ſibi experiretur, ut nova, quae panxit, carmina paſtoralia ejusdem quidem nitoris, argumenti, & metri ſint, atque priora, ſed ſimul multo argutiora, & vividiora eſſe videantur. Equidem ſcio ab elegantis ingenii hominibus & animo amico, & non ſine ulla ratione idipſum ei vitio verti; ut ſi a priſtina illa ſimplicitate Theocritea, ſive, quod idem eſt, a ſe ipſo diſceſſiſſet. At vix eſt veri ſimile hominem tam ſeveri, limatique judicii, nullam habuiſſe cauſſam probabilem, quare ſe ipſum immutaret. Neque enim temere, ſed conſilio (c) ſicuti ipſemet profitetur, vividiorem ſpiritum, quam antea, imaginesque longius ingenio accerſitas his adhibuit. Ego quidem ſic interpretor, non unam eſſe Bucolici carminis formam. Multum quippe intereſt, utrum poeta ipſe loquatur, tamquam meditatus, aut aliquo divino afflatus ſpiritu, ut Virgilius in Eglogis quarta, & ſexta; an alios alterne, & ex tempore colloquentes in-

ducat, ut idem paſſim in aliis. Deinde, utrum nihil aliud proponat ſibi, quam eorum, qui paſcendis gregibus per ſaltus, & nemora libere vagantur, tranquillam, & ſimplicem vitam repraeſentare, ut fere in Idylliis ſuis paſtoritiis Theocritus; an denique affectum aliquem, aut caſum ſuum, vel ſuorum, rurali quadam ſpecie ad majorem voluptatem captandam, efferre velit, & quaſi frondibus involvere, quemadmodum in Egloga X. Virgilius. Ibi enim Gallum, amicum ſuum, divinum poetam, & hominem ampliſſimum, ex urbis ſtrepitu in nemora abreptum amoris impotentia, & inter ovium greges, inter Arcadas paſtores, Deoſque Silveſtres canentem facit. Quare multo pluribus haec egloga ingenii, atque artis luminibus diſtincta eſt, quam communis ruſticorum ferat conditio. Ad poſtremum igitur hoc genus, quod Bucolicorum eſſe infimum non diffiteor, novae Hieronymi odae paſtorales referantur. Tum mirari fortaſſe deſinemus, quare in his aliquanto liberius, quam in prioribus, ingenio indulſerit ſuo. Nam paſtoris quidem perſonam adhuc retinent, ſed qui jam diu a ſyl-

vis abſuerat, ad eaſque cultior redierat, & neque rerum urbanarum, neque etiam litterarum imperitus. Hanc ſibi perſonam eum aſſingere, vide ſis in ode prima (10) a qua reliquae undecim pendent. Quamquam ſi quis propterea contendat novum quoddam ab eo bucolicum genus invectum eſſe, non valde repugnabo, mixtum illud ſcilicet ex pluribus. Nam quod ad perſonam, & argumentum Eglogam Virgilii decimam, ut paullo ante docuimus, ſecutus eſt, quod ad ſtyli nativam quamdam ſimplicitatem Theocritum ſuum, quod denique ad vim imaginandi non modo utrumque, ſed quandoque etiam (11) Anacreontem. Hunc ſcilicet non puderet aliquot ex illis poematis ſcripſiſſe; adeo venuſta ſunt, & feſtiva, adeo ingenioſe inventa; idque tum ad metrum, quod uſurpat, tum ad perſonam, quam ſumpſit, ut mea fert opinio, congruenter. Atque hercule, ut tum Ephemeridum Italiae celebriorum, tum doctorum hominum complurium luculentiſſima teſtimonia omittam, ſufficiat Paciaudii judicium proferre, cui nova haec carmina Paſtoralia Hieronymi adeo placuerunt, nihil ut (12) ſua-

vius, nihil nitidius, nihil iis modulatius ſe unquam legiſſe affirmet, & carmina quidem divina, eorum vero auctorem Theocritum Italicum, & felicem Catulli municipis ſui imitatorem appellare non dubitaverit. Sed ſuus ſit cuique modus. Non enim me latet, quam ſit difficile in hujusmodi rebus ſtatuere quatenus; neque illud inficior magis offendere nimium, quam parum. Sed illuc redeamus.

XIV. Has Odas a M. Beatrice Ateſtina, Ferdinandi Archiducis Auſtriaci uxore, quae avito more & amat, & tuetur eximie litteras, facile impetravit, ut ſibi emittere ſub ejus nomine in vulgus liceret. Emiſit autem anno MDCCLXXIX. una cum aliis poematis varii quidem metri, & argumenti, ſed elegantibus omnibus, atque concinnis. Ex his ipſis aliqua ad Bucolicum genus referri poſſunt, in primiſque tum Ode (13) illa, qua Silviae Curtoniae Verzae, matronae Veronenſi nobiliſſimae, eidemque illuſtri poetriae, diſcipulae ſuae, valetudinem recuperatam a lethali morbo gratulatur; tum illa (14) de laudibus Sanctiſſimae Dei Genitricis ſine labe Conceptae, qua more Petrarchae carminum

ſuorum collectionem illam claudit, quamque Antonius M. Pedrottus e Congregatione Piſana Ord. S. Hieronymi Elegia latina nitidiſſime expreſſit; ſicut Raimundus Cunichius verſibus item latinis unum (15) ex Epigrammatis reddidit eximia illa ſua venuſtate, atque elegantia, qua magnum veterum Epigrammatum numerum ex Ανθολογια reddiderat. Hoc Cunichianae interpretationis munus eo etiam nomine perjucundum Hieronymo fuit, quod verbis M. Beatricis Ateſtinae, conjugis Ferdinandi Auſtriaci, miſſum ei fuerit a Carolo Albano, Praepoſito ſacrae domus, viro Principe humaniſſimo, & cum litteratorum omnium, tum Hieronymi cum primis ſtudioſo, atque fautore. Poſtremo, ut ne varietatis quidem gratia volumini deeſſet centum epigrammata Graeca lectiſſima, una cum hymno Callimachi in Lavacra Palladis, a ſe converſa adjecit. In his convertendis metro uſus eſt hujusmodi, ut ſingulis diſtichis graecis tres verſiculi italici, quos hendecaſyllabos vocamus, reſpondeant; quorum primus, & tertius ſimiliter deſinant, alter maneat, ut ajunt, ſolutus. Quod quidem metrum, poene inuſitatum, ad

Elegiacos verſus e graeco, aut e latino vertendos omnium longe aptiſſimum eſſe in erudita, quam praeponit, epiſtola ad Lectorem pluribus contendit.

XV. Contextum graecum tum horum epigrammatum, tum hymni Callimachiani, in antiquis editionibus depravatum, ipſe longe emendatiorem exhibet, editionem Argentoratenſem anni MDCCLXXVI. pulcherrimam ſecutus, quam vir celeberrimus, ſibique jam pridem officiorum viciſſitudine conjunctiſſimus, Rich. Fr. Phil. Brunckius magno Muſarum bono adornaverat. Hanc amicitiam inter duos homines de graecis litteris praeclare meritos, Paullus M. Paciaudius, anno MDCCLXXVII. conciliavit; ingenii vero ſimilitudo, & cognatio ſtudiorum perpetuo adauxit. Complures adſervantur epiſtolae, ab iis ultro citroque datae, mehercules doctiſſimae, & omnino dignae, quae typis impreſſae in eruditorum manibus verſentur; ex quibus apparet, quantum inter ſe amarent, quantique ſe ſe invicem facerent. In his plerumque aliqua quaeſtio graecanica proponitur, & alter alterum conſulit de veterum locis ſive obſcuris, ſive corruptis, in

quae forte incidiſſent; tum quo pacto enodari ea commodius poſſent, aut emendari. Ut autem ſuae in Brunckium obſervantiae aliquod poſteris extaret monumentum, ei Hieronymus una cum Hippolyto Pindemontio, Equite Hieroſolymitano, tum adoleſcente ſummae expectationis, rarique ingenii, libellum inſcripſit anno MDCCLXXXI. communi conſilio vulgatum; ubi carmina aliquot e graeco, & latino ab ipſis hetruſce reddita continentur. Neque vero Brunckius, data occaſione gratiam Hieronymo reddidit nullam. Nam editioni Poetarum Graecorum, quos *Gnomicos* vocant, Argentorati anno MDCCLXXXIV. ejus opera, & recenſione adornatae, quum pulcherrimum Cleanthis hymnum in Jovem inſereret, hujus interpretationibus tum Latinae Jacobi Duportii, tum Gallicae Buganvilii, ſane illuſtribus, tertiam Hieronymi Italicam ſubjecit, quae non minus illis eſt elegans, & eſt magis accurata.

XVI. In eo libello, quem. commemoravimus paullo ante, poemati ſuaviſſimo Muſaei Grammatici de *caſibus Leandri*, atque *Heronis*, duas ejusdem argumenti Ovidianas

epiſtolas comites Hieronymus addiderat, ut lectores latina cum graecis conferendo, majorem voluptatis fructum perciperent. Hoc ſpecimen quum ex ſententia ſucceſſiſſet, reliquis Ovidii epiſtolis, quae Heroides inſcribuntur, eloquentiſſimis illis quidem, & pigmentorum omnium flore, non ſine tamen aliquo fuco (16) diſtinctis, eamdem navare operam decreverat. Nihilo tamen magis rem perficiebat; quippe cum aliud opus, longe utilius, atque optatius maturare ſtudebat, ſeptem ſcilicet librorum Joſephi Flavii, hiſtorici graviſſimi, de bello Judaico interpretationem. Hanc ſumma alacritate, & diligentia urgebat dies, atque noctes; ſed medio in curſu, exorta aliqua offenſione, interrumpere eſt coactus. Quam quidem offenſionem explicare non eſt neceſſe. Non enim videor debere injuriam amico illatam perſequi, quam ipſemet, qui accepit, ut erat homo leniſſimus, voluntaria ſibi oblivione obliterandam eſſe ſtatuit. Quambrem lingua quidem thuſca opere fraudata t. quod magno ſibi ornamento erat futurum. [illegible] Veronenſes, qui in illa controverſia ab Hieronymo omnes ſteterunt, exemplum prae-

clariſſimum ante oculos propoſitum habuerunt mansuetudinis, quae minus ſaepe in hominibus praeſertim ingeniosis, gloriaeque cupidis conſpicitur. Hic caſus, qui ei fuit quam moleſtiſſimus, in cauſſa fuit, cur elegias Ovidianas iterum in manus ſumeret, quas celerius, quam principio cogitaverat, expedivit, ediditque anno MDCCLXXXV. Nec vero has quoque non perilluſtri decorandas nomine curavit, quippe quibus patronum dedit Joſephum Vilcechium comitem, Joſephi II. Auguſti cum pleniſſima poteſtate in Inſubria Auſtriaca adminiſtrum, eumdemque alumnum, atque aemulum celeberrimi illius Muſarum omnium patroni, in cujus locum ſucceſſit.

XVII. Tali modo novis uſque praeclariſque elegantioris doctrinae monumentis proferendis primam illam gloriam, quam ſibi adoleſcens conciliaverat, domi, foriſque alebat, & propagabat. Jam inde ab anno MDCCLIX. Romae tum inter Occultos, tum inter Arcades ſumpto nomine Decilii Lycensis adlectus fuerat. Aliae deinde Societates litterariae ultro eum cooptaverunt; quas inter duae Veronenſes, quarum altera Philarmonicorum, altera

Philarmonicorum, altera Alethophilorum dicitur lumine ingenii ejus propius illuſtrabantur. Nae earum gloriae magnopere ſtudebat. Numquam Sodalium conventibus, quoties agebantur, deerat; nunquam vocem ibi ſuam deſiderari patiebatur; itaque omnes incitabat ſtudio ſuo. Idem fuit a ſecretis patriae Academiae, quam Picturae vocant. Hoc munus non niſi homini & a doctrina, & a facultate ſcribendi inſtructo deferri legibus licet, quippe cujus eſt Societatis monumenta illuſtrare, ejuſque nomine & epiſtolas ſcriptitare, & ſi quando opus fuerit, tum urbis magiſtratus, tum ſpectatiſſimam quamque perſonam adire, atque alloqui. Neque hoc loco praeteream, quod non tam celebritatem nominis ejus, quam continentiam declarat. Anno MDCCLXXXV. ut ex litteris apparet, a nobiliſſimo viro, municipe, & amico ſuo, Mauritio Gherardinio, nunc Joſephi II. Auguſti Legato apud Sardiniae Regem, eodem anno Mediolani datis, ei poteſtas facta fuit eligendi, quam vellet, in Ticinenſi Lyceo docendi ſibi provinciam demandari. Qua invitatione liberaliſſima uti ille noluit, quod impenſius pa-

triam, neceſſarios, cognatos, in primis Joſephum fratrem ſuum amantiſſimum diligebat, quam ut ab iis divelli ullis conditionibus poſſet. Id etiam nonnulli ita interpretati ſunt, noluiſſe eum vitam illam ſuam quietis, ac tranquillitatis pleniſſimam, libertatemque ſtudiis obſequendi ſuis, quatenus, & quibus vellet, amittere. Quas ob cauſſas paucis annis ante Parmam ſe conferre pari modo recuſaverat, quo ad tradendam publice eloquentiam honorificentiſſime fuerat arceſſitus.

XVIII. Nulla fere carminum collectio per Italiam, ut fit, edebatur paullo illuſtriori occaſione, quam editores non Hieronymi verſibus inſigniendam curarent. Sed hujus moleſtiae eum brevi tempore ita pertaeſum eſt, (17) ut poſtea homo indulgentiſſimus, hac in re non ita ſe facilem amicis praeberet. Indulgentiae vero non minus, quam auctoritatis ejus nullum majus afferre teſtimonium poſſumus, quam quod docti homines undique eum conſulebant per litteras, cenſoremque ſcriptorum ſuorum expetebant. Ad eum epigrammata, odae, tragoediae, orationes, elucubrationes omnis generis mittebantur. Ipſe autem in iis

perpendendis, vitiiſque notandis tanta erat cura, ut ſi ſua potius, quam aliena exiſtimatio ageretur. Quare complures ſunt, quibus maximo in litteris & incitamento, & adjumento fuit. Ex his nihil prohibet, quominus unum nominemus, editis operibus celebrem, qui id non ſolum non diffitetur, ſed quod animi eſt grati, memoriſque, quoties occaſio offertur, pleno ore praedicat; Aurelium ſcilicet Bertolam, eum, qui primus Theocriti Helvetii Idyllia deguſtanda Italis exhibuit. At cives ſui cum frequentius, atque facilius doctrina, & facilitate Hieronymi utebantur; tum ex iis experti poterunt nonnulli intelligere, quanti intereſt veram in ſtudiis a principio, & directam viam edoceri. Namque tanta ipſe cupiditate flagrabat optime de Patria, deque bonis artibus promerendi, uti ad ea quoque tradenda delaberetur, quae homines a doctrina vel mediocriter inſtructi, tamquam aliena a ſua dignitate faſtidirent. Itaque Hippolytum Pindemontium Equitem, & Patricium Venetum, ejus amiciſſimum, quem ſuperius laudavimus, a primis elementis docere graecas litteras exorſus eſt. Antonius etiam Maria

Pedrottus ad ampliorem earundem litterarum ſcientiam conſequendam mirifice ab Hieronymo ſe adjutum fuiſſe profitetur. Idem Silviam Curtoniam Verzam, cujus aptiſſimum ad poeſin ingenium deprehenderat, ad lectionem imitationemque optimorum poetarum eo ſucceſſu, quo norunt omnes, exercuit. Aliam quoque feminam primariam, ingenii elegantia, & liberalium diſciplinarum intelligentia praeſtantem Eliſabetham Contarenam Moſconiam, eam cui nitidiſſima Pindemontii carmina Campeſtria formis Bodonianis non minus nitidis impreſſa debemus, in delectu librorum habendo, quibus ſtuderet, fere dirigebat. His duabus matronis Veronenſibus nequeo, quin Paullinam Siccam Suardam Griſmondam e Bergomenſi nobilitate adjungam, quae ſibi & auctorem, & ducem, & adjutorem eundem fuiſſe profitetur ad eam condendi carminis facultatem, venuſtatemque comparandam, quam edita poemata declarant. Quare poſſet aliquis Epigrammatum ſcriptor argutus dicere non prorſus inepte, edoctas ab Hieronymo tres Charites fuiſſe, & numero Muſarum additas.

XIX. Illud etiam confirmat, quanti a-

pud cives ſuos in philologis rebus Hieronymi ſuffragium eſſet, quod de his quidquid in diſceptationem veniſſet, ſolebant ad eum provocare. Ipſe autem, ut erat animo non minus incorrupto, atque ſincero, quam judicio, ſumma quidem urbanitate, & modeſtia, ſed ſimul summa fide ſententiam ferebat. Ex quo accidit non raro, ut alterutram partem offenderet. Plerique enim plus opinionem ſuam, aut potius inaniſſimam victoriam amant, quam veritatem; & judicem, aut cenſorem verbo, reipſa probatorem & aſſentatorem quaerunt. Itaque ultimis temporibus ſibi Hieronymus cavebat diligentiſſime, ne in has anguſtias conjiceretur, ut aut veritatem, aut quemquam laederet. Quam ob cauſſam remiſſior etiam paullatim evaſit in animadvertendis ſcriptorum vitiis, quae ejus cenſurae ſubjiciebantur; niſi ſi quis ad eum adiret, a quo omnia in bonam partem acceptum iri confideret. Verum admodum haec cautio non erat ei neceſſaria in litterariis illis hominum lectiſſimorum conventibus, quos domi ſuae Silvia Curtonia Verza die Veneris habere prima nocte inſtituit, aliquot abhinc annis, eo potiſſimum conſilio

ut optimi libri legerentur; & ſi quid inter legendum obſcuri incidiſſet, id, ut quiſque quaque facultate praeſtabat, illuſtraret. His, Veronae dum eſſem, interfui aliquando ab illuſtri Mathematico Petro Coſſalio, qui nunc in Regio Parmenſi Lyceo Phyſicen profitetur introductus, & ab ornatiſsima matrona nullo non officiorum genere exceptus. Cujus rei quoties recordor, recordor autem ſaepiſſime, neſcio, majori ne voluptate, an deſiderio afficiar. Namque ibi cum omnia me mirifice delectarunt, tum illud in primis, quod Bartholomaeum Lorentium, quem multo felicissimum extemporalium poetarum noſtram tuliſſe aetatem vere videor poſſe contendere, magnum verſuum numerum ex tempore fundentem audire mihi contigerit. Non cantu indigebat ipſe, non citharoedi ope, ut ceteri; ſed, quod vehementer mireris, familiari pronunciandi ratione utebatur ſic ut eum legere dixiſſes. Praeterea argumentis moralibus, hiſtoricis, fabuloſis, quae ſcilicet tractata facile niteſcere poſſent, praeoptabat, ut ſibi recentiorum phyſicorum inventa jejuniora, ac ſpinoſiora proponerentur, in quibus

Ornari res ipſa negat, contenta doceri,

ut loquitur Manilius. Nihilo tamen secius quae vel experientiſſimi phyſici vix ſoluta oratione docere ſatis commode poſſent, ipse verſibus pulcherrimis explicabat, & coloribus omnibus artis suae propriis ornabat, variabatque aptiſſimis, & perjucundis digreſſionibus, ut difficile eſſet intellectu. utrum poeta igenioſior an doctior eſſet philosophus. Utrique certe officio cumulte satisfaciebat, ſic ut ejus carmina aeque probaret atque admiraretur, & qui modum dicendi, ut Hieronymus, & qui materiam attendebat potiſſimum, ut Marius Lorgna Eques, quo celebriorem doctioremque in rebus phyſicis, ac mathematicis judicem non ita facile invenies.

XX. Cum igitur homines hujusmodi, in suo quique genere praestantes, conventus illos frequentarent, a quibus nullam vereretur invidiam Hieronymus; neque enim qui suae confidunt, alienae solent invidere virtuti, libere prorsus, quum rogabatur, sententiam suam dicebat. Rogabatur autem potiſſimum, quum de philologia ageretur, in qua se ei nemo comparabat. Erant igitur praecipuae ejus partes vocabula graeca, aut graecae originis explicare virtutes nostrorum scriptorum cum

Graecis, a quibus deductae fuerint, comparare; exempla veterum, quae ad rem facerent, reminiſci, recitare, interpretari; demum cum res poſtulabat, & Σχολιαστων animadverſiones, & diſcrimina διαλεκτων, & varietatem lectionum, & ſi qua ſunt hujuſmodi, in medium afferre. Quae quidem omnia ita ad manum habebat, uti quae dicebat ex tempore, aut attuliſſe domo, aut etiam ex commentario legere videretur. Pari modo ſodales ceteri, in ſua quique provincia, ſententiam rogati, ne ſibi, aliorumque expectationi deeſſent, dabant operam. Itaque nihil hoc inſtituto utilius, nihil dulcius. Quod utinam imitaretur quiſque nobilium virorum, feminarumque conventus habere nocturnos ſolet, quemadmodum paullo poſt imitata eſt Eliſabetha Contarena Moſconia, ad quam iidem illi focii die Jovis conveniunt. Huic autem lectionibus, ſermonibuſque eruditis, quaſi exodii loco, ſonorum, atque cantuum concentus viſum eſt addere, quibus etiam Hieronymus mirum in modum tenebatur.

XXI. Nemo, Veronam adventabat, qui quidem litterarum eſſet cupidus, aut vellet

videri, quin eum cognoſcere ſtuderet. Nemo, quin cognitum amaret, plurimique faceret. Quippe inerant ei multa, quae ad ſe diligendum homines allicerent; quamvis non perinde fautricem habuit naturam in corpore, atque in tribuendis animi dotibus. Nam neque forma, neque ſtatura erat admodum appoſita ad dignitatem. Verum ex ore ejus, vultuque & ex moribus omnibus animi candor ſpirabat, lenitaſque amabilis. Et cum ab ejus sermone omnis aberat aſſentatio, atque fucus, aderat tamen comitas, atque lepos; & hic quidem, utpote libatus e graecis fontibus, hoc ipſo placebat, quod elegantem quamdam peregrinitatem redoleret. Quibus rebus fiebat, ut non minus optimatibus, feminis feſtivioribus, atque elegantioribus, quam hominibus doctis, atque ſeveris ejus eſſet convictio jucundiſſima. Quamquam non erat ipſe nedum ad jocandum, ſed ne ad loquendum quidem natura proclivis, neque etiam admodum expeditus. Itaque in congreſſionibns amicorum fere tacebat, niſi quando de rebus ageretur, vel ſibi plane perſpectis, vel neceſſariis; quae, ut praeclare Iſocrates, duo ſunt tempora una,

ubi potior ſermo haberi ſilentio debet. De ſe aut nihil loquebatur, aut parciſſime, & adeo modeſte, ut unus de multis eſſe ignotis videretur, iis vero, qui eum noverant, magnam ſui admirationem injiceret. Atque ut inanes jactationes, ſic etiam & ambitiones oderat, & blanditias, & alias hujuſmodi vias vulgo quidem uſitatas, ſed minus directas adipiſcendae laudis, atque gratiae. Ex quo facile intelligeres non aliam ſibi eum gloriam quaerere, quam quae virtutem ejus, recteque facta, & ſcripta, ut umbra corpus, ſequeretur. Quippe non id agebat, ut videretur, ſed ut evaderet in dies doctior, atque melior; quam ſane ſimplicem, & quaſi compendiariam ad ſolidam gloriam eſſe viam Socrates docebat. Pari modo ab omni obtrectatione, atque aemulatione illa, quae rivalitati ſimilis eſt, quaque laborant non raro litterati homines, abhorrebat ſummo opere. Quemadmodum igitur praeſenti nemini aſſentabatur, ſic nemini detrahebat abſenti; neque ſi qua vitia in aliorum elucubrationibus, quarum erat, ut diximus, acer, atque moroſus cenſor, animadvertiſſet, palam ea, aut multo

minus ſcripto carpebat, sed vix in auribus dicebat amicorum, quo hi nimirum ſibi ab illis in ſcribendo cavere diſcerent. Itaque nullas inimicitias geſſit, nullam controverſiam litterariam habuit, praeter illam unam, quam ſuperius attigimus. E contrario quidquid ſcite, eleganterque a quoquam ſcriptum legeret, geſtiens quodam modo, & pleno ore praedicabat. Idem, ut docuimus ſupra, quicumque ſe ad eum applicuiſſent, germanae elegantiae ſtudioſi, eos ad illam excolendam, comparandamque excitabat, adjuvabatque quantum poterat; multorum ſane diſſimilis, qui ſoli ſapere volunt, neque tam litteras ipſas amant, quam aut quaeſtus, aut inanis gloriolae fructum, quem ex illis percipiunt.

XXII. Neque vero minus ipſe bonus civis habitus eſt, quam aut amicus, aut litteratus. Itaque quemadmodum voluptas, quam ex amicorum conſuetudine capiebat maximam, nihil ex ejus diurnis ſtudiis detrahebat, neque impetrabat unquam, ut noctu ſerius, quam inſtituerat, rediret domum; ſic neque legendi, commentandi, ſcribendique ſuavitas eum adeo alliciebat, ut ſegnem ad publicum

ſuum munus obeundum fecerit aliquando. Erat quippe ab actis Triumvirûm valetudini publicae curandae. Quod munus, magni quidem momenti, ſed ejus ingenio fortaſſe inferius, & libenter ſuſceperat, & diligenter exequebatur; credo, quod ſe ſe eadem illa cogitatione excitabat, qua Plutarchus ille ſuus cum Curator viarum electus fuiſſet; *nihil ſcilicet optimo cuique abjectum habendum eſſe, quod e republica ſit, ſibique fuerit a patria demandatum*. Ceterum in tota vita cum Hieronymus fortuna uſus ſit minus pro magnitudine meritorum ſuorum benigna, atque liberali, nunquam tamen de ejus temeritate conquerebatur; neque munerum fortunae ipſius extendere potius facultatem ſatagebat, quam & in utendo rationem, & in carendo patientiam. In quo non ſolum aut naturae parebat ſuae, aut philoſophiae, quam neutram ſatis ad bene conſtanterque vivendum habere virium conſtat, ſed maxime ſanctiſſimis, ac veriſſimis Religionis Chriſtianae praeceptis, quam puer animo imbiberat, ſummoque ſtudio ad ultimum ſpiritum retinuit. His ſane edoctus nos ad multo majora natos eſſe, quam ad haec

ludibria fortunae, quae appellamus bona; tum fortunam ipſam nihil eſſe aliud, quam nomen inane; omnia vero unius Dei O. M. nutu regi; hujus ſe providentiae, ſuaſque res omnes ex animo permittebat; ex quo magnam animi tranquillitatem exiſtere neceſſe erat. Sed nimirum ex hoc eodem bonorum omnium fonte, & capite ceteras virtutes hauſit, quae in ejus factis, & dictis elucebant, & vero etiam in ipſo ſilentio, quod quandoque quavis erat oratione eloquentius. Hinc pietatem in Deum, benevolentiam in ſuos, charitatem in patriam, ſtudium in amicos, comitatem in omnes; hinc animi candorem, morum innocentiam, ſermonis ingenuitatem; hinc denique aequabilitatem, conſtantiamque univerſae vitae, quae in hoc tanta fuit, ut qui complures annos intima ejus familiaritate ſunt uſi, affirment nullo in officio, nedum labentem eum unquam, ſed nè labantem quidem deprehendiſſe.

XXIII. His igitur tot, tamque praeclaris animi bonis cum tanta vis ingenii, doctrinaeque praeſtantia accederet, difficile erat intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an

amarent. Longum eſſet hos enumerare, atque etiam periculoſum. Nam cum magno ſint numero, & vivi plerique, difficile eſſet ſingulos perſequi, odioſum quemquam praeterire. Ex iis vero, quibus ſuperſtes fuit, litteris frequentius coluit Paullum M. Paciaudium, doctiſſimum illum memoriae noſtrae philologum ex Theatinorum familia; diligebat vero praecipue ultimis temporibus Andream Nogarolam, Patricium Veronenſem, liberalibus diſciplinis politiſſimum, tum morum ſuavitate, vitaeque innocentia ſingulari. Hunc acerbo functum fato oratione etiam laudavit, quam tamen & ipſe, paullo poſt morte interceptus, dicere in corona non potuit. Ac quoniam principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt, hanc quoque Hieronymo non defuiſſe indicio ſunt litterae ab iis, aut ab eorum adminiſtris ad eum honorifice ſcriptae, favoriſque, & benevolentiae argumentis pleniſſimae. Neque per epiſtolas modo, ſed etiam coram ſingularem erga eum benignitatem, & comitatem teſtificati ſunt, Veronae quum eſſent, Ferdinandus Borbonius Parmenſium Dux, & M. Beatrix Ateſtina, Ferdinandi A. A. uxor, optimi

& indulgentiſſimi Principes, quos iterum honoris, amplitudiniſque cauſa nomino. His addam Mariam Annam Ducis Saxonis filiam, Bavarici uxorem, quae cum litterarum noſtratum erat intelligens, atque ſtudioſa, tum Hieronymi verſibus delectabatur maxime, quos ei muneri mittere ipſe (18) ſolebat. Nec ſilentio praeteream Mariam Antoniam Bavaricam, Electricem Saxoniae, quae vidua per Italiam iter faciens quum Veronam tranſiret, eumdem de facie cognoſcere voluit, tantaque comitate accepit, ut quanto in pretio haberet, judicari facile poſſet. Mitto ceteros principes, aut primarios homines, quibus aut librum aliquem ſuum, aut carmina dedicavit. Qui non modo hoc tam egregii ſcriptoris officium aequi faciebant, ſed in beneficii loco ſe habere humaniſſime profitebantur. Ex adminiſtris vero unus ſit inſtar omnium vir ampliſſimus, maximiſque legationibus & honoribus perfunctus David Moravius Stormontiae Vicecomes ex M. Britanniae Proceribus graece, & latine doctiſſimus, quique ſermone noſtro ſic utitur & commode, & eleganter, ut in Thuſcia natus videatur. Nam ut a viro do-

ctiſſimo, mihique amiciſſimo Joſepho Ramagginio accepi, qui tanti viri favore, ac benevolentia nunc merito gloriatur, ut quondam conſuetudine fruebatur, poſtquam ille ex Italia Vindobonam venerat, ſi de Italis doctrina excellentibus a ſe cognitis ſermo incidiſſet, duos Veronenſes Torellium, & Pompejum, tanquam nobiliſſimum litteratorum amicorum par, nominare inter ceteros conſueverat. Ac fortaſſe eidem Hieronymus potiſſimum debet, quod ejus nomen perinde, atque illud Torellii in Inſulam illam armis, opibus, ſcientiis omnibus florentiſſimam appulerit. Illic ſane tanti fiunt Hieronymi opera, ut captum conſilium Londini fuerit ea ſplendide recudendi. Qua de re per litteras, nomine ſcriptas potentiſſimi illius Regis, quum certior paucis diebus factus eſſet, antequam diem obiret ſuum, tantam voluptatem ceperat, ut editiones ſive vitarum Plutarchi, ſive reliquorum Operum, quarum altera Neapoli, altera Nicaeae parabatur, jam minus eum ſollicitum haberent. Sed forſitan, quod nolim, optimum illud conſilium, neque tam Hieronymo, quam toti Italiae glorioſum, ejus mors ſubita pere-

mit. Qui quidem, ſi longior ei vita ſuppeditaſſet, aliis operibus, quae apud ſe continebat, editionem illam tranſmarinam locupletare potuiſſet.

XXIV. Reliquit enim tam magnum carminum numerum, juſtum ut volumen conficere poſſint. Quorum partim animi cauſſa (19) ſcripſit, partim amicorum rogatu, partim ut ſuam in Deum, in Sanctiſſimam Dei Matrem, in Superos pietatem exprimeret. Pleraque vero in coetu Philarmonicorum recitavit, qui quoddam fuit quaſi theatrum illius ingenii. Nam cum magni illuc, audiendi cauſſa, omnium ordinum concurſus fierent, nemo Sodalium Hieronymo expectabatur avidius, nemo majori ſilentio audiebatur. Deerat ei quidem pronunciationis lenocinium, quod nemo neſcit, quantum valeat, ut mollius in aures, animoſque audientium influant verſus. Nihilo tamen ſecius vidiſſes totam coronam, ut avem cantu aliquo, ejus voce quaſi ſuſpenſam teneri; niſi quando liberrimi plauſus, indices approbationis communis, identidem erumpebant. Itaque ex litterariis illis certaminibus fere ſemper victor omnium conceſſu diſcede-

bat. Hoc quale ſit facilius exiſtimabit is, qui judicare poterit, quam non eſſet facilis haec victoria in urbe illa nobiliſſima, atque ob felicem caeli adſpirationem, ac nativum quemdam optimum, vividumque incolarum ſenſum, atque ingenium, liberaliſſimis ſemper ſtudiis, praeſertim poeticis, affluente. Extant praeterea in ejus ſcriptis (ut quae commemoravi ſupra omittam) orationes ſex, & tria alia opuſcula, verſu non adſtricta. Haec in Alethophilorum, illas in Philarmonicorum coetu pleraſque recitavit. Sunt autem Orationum hi tituli: *de Arte Gymnaſtica*, *de verae Pulchritudinis guſtu*, *de Felicitate*, *de Laudibus S. Philippi Nerii*, *in funere Joannis Cignarolii Pictoris*, *in funere Andreae Nogarolae Comitis*, quam poſtremam, auctore vita functo, recitavit Bartholomaeus Lorentius ejus amiciſſimus. In priori Opuſculo de veterum ſcriptorum imitatione disserit; in altero de perturbationibus animi, quas Graeci παθη nominant, in tertio demum de extremo Mundi hujus aſpectabilis excidio. Hoc non ſolum eſt eleganter, eruditeque ſcriptum, ut reliqua, ſed etiam recentioris philoſophiae luminibus

refertum. Nam extremis temporibus huic aliquid temporis tribuit; ob eamque cauſſam ſe gallicis etiam litteris placatiorem praebuit, ut pote quibus res phyſicae ſunt potiſſimum illuſtratae. Namque olim non ignorabat illas quidem, ſed nihil admodum excolebat; credimus, quod timeret, ne quemadmodum eorum, qui in ſole ambulant, etiamſi ob aliam cauſſam ambulant, natura tamen vultus colorantur, ſic legendo gallicos libros ſua illa etruſcae orationis puritas, atque nitor tranſalpino aliquo colore infuſcaretur.

XXV. Atque haec omnia perfecta reliquit, atque limata. Sed alia maiora homo ingenioſiſſimus, atque a labore invictus, neque dum exacta aetate, partim inchoaverat, partim meditabatur. Habebat quippe in animo tum Herodianum, tum Theocritum convertere; poſtremo poema Georgicum de Cura Olearum condere. Quin etiam hujus verſus aliquot jam fecerat, quos cum Bertola, ut alias res ſuas ſolebat, familiariter communicavit. Idem jamdiu totius Callimachi μεταφρασιν non ſine magna (20) expectatione ſuſceperat. At dum hanc urgebat, eratque in eo

ut ad umbillicum perduceret, ſubitus eum caſus eripuit. Anno MDCCLXXXVIII. X. Kal. Februarias e nobili Marionorum domo hora tertia noctis, qua ſolebat, qnum exiiſſet, ut domum ſe ſuam reciperet, quumque puer poenulam ei deferre oblitus eſſet, ipſe aut poenulam, aut aliud involucrum arcendo frigori nocturno petere ab aliquo amicorum neglexit. Quod nonnulli arbitrati ſunt nimia ejus modeſtia, aut potius animi demiſſione eſſe factum. Ego vero ſic interpretor eum aut periculum non vidiſſe, aut ſatis non metuiſſe. Itaque cum multum frigoris inter eundum collegiſſet, peripneumoniam nactus eſt. Teterrimi morbi gravitate oppreſſus, licet ei medici non omnem ſpem praeciderent, ipſe tamen fallaciſſimae artis diffiſus & remediis, & judiciis, mature ad ſubſidia Religionis confugit. His rite, ſancteque acceptis, ſeptimo die poſtquam decubuit circiter meridiem, ut pure & innocenter vixerat, ſic placide, conſtanterque, & ſpe Chriſtiana cumulatus deceſſit.

XXVI. Elatus eſt ad SS. Nazarii & Celſi, ibique tumulatus cum hac inſcriptione.

HIERONYMI . POMPEII . PATRIC . VERONENSIS
QUI . OPTIMIS . MORIBUS . RELIGIONE
GRAECAE . ROMANAE . ET . ETRUSCAE .
LINGUAE . SCIENTIA . LIRICAE .
POESIS . TRAGICAE . Q . PRAESTANTIA .
PATRIAE . DECUS . AUXIT
EXUVIAE
FAMA . VOLITAT . VIVUS . PER . ORA
VIRUM . VIXIT . ANN. LVII.
P. M. FRATER .
MAESTISS. P.
ANN . CIƆ . D . CC. LXXXVIII.

Non dici poteſt, quantum hic moriens deſiderium reliquerit, quantoque luctu Joſephum fratrem ejus chariſſimum, atque optimum, quanto ceteros affines, propinquos, amicos, quanto omnes civitatis ordines affecerit. Ac frater quidem inſolabiliter moerens monumentum ei poſuit: amici vero vix moerori fraterno concedentes, certatim (21) Pieriis illud floribus ornarunt. In primis Andreas Zinellius, optimus ſenex, in cujus viventis locum ſuffectus ille fuerat Scriba Triumvirûm valetudinis, verſibus ſic ejus obitum luxit,

ut pater unici filii. Praeterea laudationem ejus contexuere Hippolytus Pindemontius Eques, & Antonius M. Pedrottus, alter ſoluta, alter adſtricta numeris oratione. Neque non habeo certum (22) quod pluribus mihi litteris nunciatum eſt, fore, ut effigies tam cari capitis marmorea in illuſtri loco ſtatuenda decernatur. Hic enim mos eſt illius Civitatis, vel inde a majoribus acceptus, ut qui praeclaris ingenii monumentis patrium decus auxerit, ejus imaginem & ad referendam mortuo gratiam, & ad ſtimulos vivis, proſteriſque addendos, omnium oculis monumento publico exhibeat. Quem quidem morem quamdiu retinebit, nunquam ei deerunt cives, qui ut immortalibus patriae gratae praemiis ſe dignos praebeant, voluptate, deſidiaque labori, ac ſtudio poſtpoſitis, ad glorioſa quaeque adgrediendа, perficiendaque excitentur.

ADNOTATIONES.

(1) QUam potiſſimum in contexenda edendaque hac vita propoſueram mihi, ſane conſecutum me eſſe gaudeo, ſummae fidei ac diligentiae laudem. Nam quotquot e Veronenſibus praeſertim non rogavi modo, ſed plane urſi, ut quidquid a veritate alienum deprehendiſſent, mihi ingenue ſignificarent, quod ſcilicet in altera editione emendare poſſem, una voce reſponderunt, nihil eſſe quod retractarem: nullam enim animi ingeniique &c. morum Hieronymi veriorem, nullam expreſſiorem imaginem effingi poſſe. Cujus rei loculentiſſimum eſt teſtimonium vel una Hippolyti Bevilaquae, quo nemo penitius Pompejum novit, epiſtola ad feminam primariam Eliſabetham Contarenam Moſconiam, cujus rogatu commentariolum hoc a ſe Tuſce converſum, eleganti ſane ſtylo & perpolito, in vulgus edidit. Sunt tamen nonnulli, qui hanc rem unam minime probarunt, quod ego narraverim Hieronymum *litterarum noſtrarum plane rudem* e Jeſuitarum ſcholis prodiiſſe; ajunt enim ejus condiſcipulos ſuperaſſe, qui meminerint Muſas Hetruſcas jam tum in Veronenſibus ſcholis excoli coeptas eſſe: quin etiam Hieronymum, quum adhuc Rhetoricae

ricae operam daret, domum Scipionis Maffeii ventirare die Jovis una cum magiſtro conſueſſe, ibique ſumma doctiſſimi ſenis approbatione carmina ſua, ſaepius quidem Latina, ſed nonnunquam etiam Italica in corona recitare; tandem abeſſe tantum, ut Italica poeſis in iis ſcholis tum negligeretur, ut ad earum potiſſimum uſum, quemadmodum Fracaſtorii, aliorumque Veronenſium elegantiorum Poetarum, qui lingua Latina ſunt uſi, ſic etiam Dantis Alighieri editio per ea tempora Veronae ſit adornata. Haec inquam ajunt homines & eruditi & humaniſſimi; quae ego, data hic occaſione, haud mihi diſſimulanda eſſe exiſtimavi.

(1) Franciſcus quidem Cappellus Epigrammate illo, quod incipit:

Eſca ormai la tua Filii, eſca dal boſco.

Hippolytus vero Bevilaqua, longiori poemate, quod Itali *Capitulum* vocant, cui initium eſt:

Ognor mi parve, che s' uom tenga a vile,
Pompei, de' Greci, e de' Latini il vanto,
E de' Toſchi migliori il dolce ſtile;

In quo ſane poemate ab Auctore nobiliſſimo, & doctrina, humanitate, religione ſpectatiſſimo pleraque eleganter exponuntur, quae mox diximus, aut dicturi ſumus tum de flagranti Hie-

ronymi ſtudio in probatiſſimos quoſque ſcriptores Graecos, Latinos, Etruſcos, ac potiſſimum in Theocritum, tum de ipſius in elucubrationibus ſuis perpoliendis moroſitate; cui tandem ut finem faciat, ſic eum hortatur;

Delle ſelve eſca fuor la tua ritroſa
Fillide omai: e ai Cittadin ſi moſtri
Vaga così, qual è tra i fior la roſa . . .

(3) Vide Hieronymi epiſtolam ad lectorem pag. XIII.
(4) Ibidem pag. XIV.
(5) En Pagninii verba ex ejus praefatione in Opera Bucolicorum a ſe converſa, & Bodonianis formis Parmae excuſa anno MDCCLXXX. *Già molto prima il Sig. Girolamo Pompei Cavalier Veroneſe ſtampò un libretto di Canzoni paſtorali, tutte ſpiranti venuſtà greca, alle quali egli aggiunſe un' aſſai bella, e fedeliſſima traduzione di otto Idilii, ſei di Teocrito, e due di Moſco.*
(6) Ode Hieronymi in funere Mariannae Malaſpinae ſic incipit:

Deh tu che in triſti accenti

Sic vero altera in funere Thereſiae Pellegrinae

Ahi qual duolo aſpro, e rio.

(7) In ode, qua de mentionem modo fecimus, in obitu Mariannae Malaſpinae, haec habet inter alia ad rem noſtram:

> *Quanta mia ſpeme eſtinſe*
> *Morte crudel che ſiede*
> *Sugli occhi ſuoi fra orror ſquallido, e tetro!*
> *Il deſir, che mi cinſe*
> *Già di coturno il piede,*
> *Eſtinto or giace pur nel ſuo feretro.*

(8) Quinquennium ſe Plutarchi Vitis vertendis tribuiſſe ipſemet memoriae prodit Hieronymus in epigrammate, quo exemplar illius operis Margaritae Bevilaqquae Nigrobonae, matronae nobiliſſimae muneri miſit. Sic enim ait:

> *Queſto divin Greco lavoro, ch'io*
> *Traſſi in noſtro idioma, e d'un intero*
> *Luſtro fu ſola mia cura, e penſiero,*
> *Saggia donna, e gentil, a te ne invio.*

(9) Conſule Hieronymi praefationem in ejus Novas Odas Paſtorales pag. XVII.

(10) In hac Ode Phyllidi de peregrinatione ſua diuturnaque a ſilvis abſentia rationem reddit; tum ei narrat ſe in regionem quamdam, quae appellatur Graecia, perveniſſe, ibique & eam linguam didiciſſe, & multa praeter communem

ruſticorum conditionem audiviſſe, & auſum e-tiam eſſe fabulas docere, & in nobilibus coetibus verſari; in ſumma eruditum, excultumque ad nemora, & mapalia revertiſſe.

(11) Judicium ejuſmodi de tertia potiſſimum Ode fecerunt doctiſſimi Ephemeridum Romanarum Auctores num. v. An. MDCCLXXXVIII. qui poſtquam generatim carmina Hieronymi ſummis laudibus extuliſſent, inprimiſque has Odas paſtoritias illis verbis: *ammiraſi nelle Canzoni tutta la ſemplicità, e la venuſtà di Teocrito, e di Virgilio*, haec addunt, *il penſiero della terza Canzona non ſarebbe diſpiacciuto ad Anacreonte. Giova riferire queſto leggiadriſſimo ſaggio di poeſia*;

† *Sopra un bel verde colle*:

Sed litterariae Ephemerides Italiae celebriores in elucubrationibus Pompejanis mire laudandis ſemper conſenſerunt. Non id nobis eſt tanti, ut in earum teſtimoniis adducendis immoremur. Quare ſtudioſos Pompeii ad eas ipſas delegamus, in primiſque ad Vicetinas, ubi de novis Odis Paſtoritiis agitur; eſt enim totus ille locus digniſſimus, qui legatur; ita ſolerter, ingenioſeque expenduntur virtutes, & gratiae omnes, quibus & Odae ipſae, & cetera carmina iis ſubjecta nitent praecipue.

(12) Lubet ipſamet Paciaudii, qui in omni judicio elegantiſſimus eſt habitus, verba exscribere ex ejus epiſtola XI. Kalend. Decem. Parmae data an. MDCCLXXIX. quae non modo ad nova Poemata Hieronymi Paſtoritia, ſed ad reliqua pertinent, quae in eodem volumine continentur, & de quibus inferius dicemus. *Qual lode mia potrà aggualiare l' eccellenza delle ſue rime novellamente pubblicate? Io non ho mai letto carmi paſtorali più nitidi, più ſoavi, più armonioſi. Coſe divine ſono le ſue Canzoni, maeſtrevoli i Sonetti, maravigliose le Traduzioni dei Greci Epigrammi: Ella ſarà chiamata da' Poſteri il Teocrito Italiano, il felice imitatore del ſuo elegante concittadino Catullo.*

(13) Incipit haec Ode;

Un bel fiorito Aprile.

(14) Huic Odae initium eſt;

Se con ſilveſtre avena

ex eaque liquide apparet, quam prae laudibus Mariae Virginis Poeta religioſus reliqua argumenta parvi penderet, quae animi cauſſa tractaverat.

(15) Epigrammati, quod Cunichius latinum fecit, initium eſt;

Morte ed amor a rinnovar gli ſtrali.

Puto autem pergratum lectoribus fore, ſi Cunichii ipſius venuſtiſſimam interpretationem ſubjiciam, quae eſt hujuſmodi.

Mors & amor corrupta uſu jam denique longo
Trinacrio dederunt tela novanda Deo.
Is conflata igni dein forma duxit eadem,
Nec potuit cujus noſcere, quodque foret.
Indiſcreta ergo pariter ſua, nec ſua tela
Mors & amor vacuis indiderunt pharetris.
Crebraque nunc ſacro mittunt dum ſpicula ab arcu
Ambo, quae nollent, vulnera ferre, ferunt.
Hinc & amat perſaepe ſenex, cui mors foret apta,
Et moritur juvenis, cui foret aptus amor.

(16) Memini propterea mirari quosdam, nec immerito, quod quum Hieronymus ea eſſet judicii prudentia, ac potius ſeveritate, qua diximus, animum induxerit tamen hujuſmodi opus convertere. Verum his occurrit ipſemet in epiſte.

la ad lectorem; & nonnihil quidem fuci deprehendi in eo fatetur, ſed cui, ut in argumento amatorio, ignoſcendum ſit. Si qua autem convertens offendit identidem pigmenta odioſa, & exquiſita nimis, ea apte, ſciteque temperat exhibetque dilutiora quodam modo. Cujus rei exempla aliquot profert Clementinus Vanettus in epiſtola ad Clariſſimum ejus civem, & amicum optimum Carolum Roſminium, qua argumentum pertractandum ſibi proponit, homini accommodatum, qui latinitatem, principumque in ea auctorum vim, elegantiam, leporem toto hauſit pectore; utrum ſcilicet Ovidius, & quatenus ab aurea illa, germanaque aequalium ſuorum venuſtate deflexerit. Hanc autem edidit appoſite ad rem ſuam Roſminius in pulcherrimo ſuo, atque eruditiſſimo commentario de Vita, Scriptiſque ejusdem Poetae, typis Haeredum Joſephi Rinaldii Ferrariae impreſſo hoc eodem anno MDCCLXXXIX.

(17) Vide Hieronymi praefationem in novas Odas paſtorales pag. *XX.* ubi merito in illos Collectionum Editores invehitur, qui inſciente ſe prorſus ejus carmina foede corrupta, atque ad aliud argumentum detorta, recudere auſi fuerant, Quod adnotare libuit, ut ſi forte hujusmodi carmina nomen Pompeii praeferentia in manus alicujus inciderint, in quibus vitia animadvertantur, ne haec tam illuſtris Poeta

memoriae fraudi ſint ſcilicet, quae aliena licentia, aut potius temeritate intolerabili illuc irrepſerunt.

(18) Id ex epigrammate Hieronymi colligitur, cujus initium eſt:

Dove, mie rime, in così rozze veſti.

Quod vero paullo poſt dicimus, apparet ex Ode, quae poſt novas Paſtorales extat:

S' armi or di corde nuove.

(19) Ex his mihi videre dumtaxat contigit poema, cui titulus eſt, *La Concordia*, eo metro conſcriptum, quod Itali appellant *terze rime*, nobiliſſimum ſane, atque pulcherrimum. Hoc egregie a ſe latine redditum Antonius Maria Pedrottus una cum aliis ſuis carminibus tum Latinis, tum Etruſcis, edidit Veronae anno MDCCLXXXVIII. ut viri nobiliſſimi Aſcanii Maffeii Comitis nuptias condecoraret.

(20) Non poterat ſane non ſummam expectationem excitare opus hujuſmodi: neque enim cuiquam erat dubium, quin Hieronymi manu concinatum numeros eſſet omnes habiturum; cum quidem ad hoc temporis nemini Italorum proſpere ſucceſſerit. Valde igitur dolendum eſt, quod ultimam ei manum imponere ipſe nequiverit.

Digitized by Google

Sed huic Muſarum luctui levamento eſſe debet maximo, quod id operis aggreſſus eſt etiam Pagninius, imo jam abſolvit, atque, ut audio, propediem eſt editurus. Certe alter hic eſt annus, ex quo recordor, me cum ſumma cum voluptate audiviſſe, cum aliquot Callimachi hymnos a ſe ſcite fideliterque more ſuo converſos recitaret apud optimatem feminam ornatiſſimam Roxanam Landiam Comitem Somaleae, non Italicis modo, Gallicisque, ſed etiam Latinis, ac Graecis litteris excultam.

(21) Inter carmina, quibus Pompeii obitum amici ejus defleverunt, ut arguta ſunt Epigrammata tria, quae edidit Bertola, ſic haberi debet tanquam luculentiſſimum teſtimonium de ſingulari illius in litteris praeſtantia Epitaphium octo verſibus exaratum, quod ita ſe habet:

Il buon Pompei quì giace. Al dotto ſpirto
Ombre Greche e Latine in un confuſe
Sì fero incontro, e de l'Eliſio mirto
Cinſer chi vita lor novella infuſe:
Col crine intanto lacerato ed irto
Piangono a queſto avel le ſante Muſe:
Ride Barbarie, e ſpera il ſeggio antico.
Fatto già polve il ſuo maggior nemico:

ex quo apparet, quantam in uno capite Muſae omnes elegantiores jacturam fecerint. Hoc

quippe Clementino Vanetto tribuitur; eſtque ſane dignum homine Hieronymi amiciſſimo, & ſcriptore elegantiſſimo, ſive lingua Hetruſca utatur, ſive malit Latina, cujus acerrimus eſt vindex. Ego quoque, qui ingenium, artemque ſcribendi concedens multis, in amanda, colendaque amici optimi memoria nemini uni concedo, vix ut tantus ille moeror nunciatus eſt mihi, epitaphium eo ſermone ſcripſi, cujus ei ſcientia maximae fuit & voluptati, & gloriae. Eſt autem hujuſmodi:

ΠΟΜΠΑΙΩ. ΙΕΡΟΝΥΜΩ. ΕΝΘΑΔΕ. ΤΡΕΙΣ.
ΑΜΑ. ΚΕΙΝΤΑΙ. ΓΛΩΤΤΑΙ. ΤΥΡΣΗΝΗ.
ΑΥΣΟΝΙΣ. ΑΧΑΙΚΗ. ΑΛΛ.
ΑΥΤΟΥ. Η. ΜΕΝ. ΨΥΧΗ. ΕΙΣ. ΟΥΡΑΝΟΝ.
ΕΠΤΗ. Η. ΔΕ ΚΑΛΗ. ΦΗΜΗ.
ΠΑΝΤΑ. ΑΝΑ. ΣΤΟΜΑΤΑ.

(21) Non fruſtra auguratus ſum fore, ut Veronenſes pro avito illo, & patrio, quo praeſtant, ſtudio in cives optime meritos, honorem aliquem memoriae Hieronymi Pompeii aliquando decernerent. Quippe non ita multo poſtea quam haec Vita publicam aſpexit lucem, decrevere ut ejus imago affabre, & politiſſimo marmore effingeretur, & cum titulo ſtatueretur. Titu

ſus eſt autem hujuſmodi, quem ego ipſe eorum juſſu confeci:

HIERONYMO. FRANCISCI.

F. POMPEIO.

ORATORI. PHILOLOGO. POETAE.

HOMINI. OPTIMO.

PUBLICE.

AN. M. DCC. LXXXXI.

OPERA EDITA.

Canzoni Paſtorali di Girolamo Pompei Gentiluomo Veroneſe con alcuni Idilii di Teocrito, e di Moſco tradotti dallo ſteſſo in verſi italiani. In Verona MDCCLXIV. Per l' Erede di Agoſtino Carattoni.

L'Impermeſtra. Tragedia di Girolamo Pompei Gentiluomo Veroneſe. In Verona MDCCLXVII. Preſſo Dioniſio Ramanzini.

La Calliroe Tragedia di Girolamo ec. In Verona per Marco Moroni MDCCLXIX.

Le Vite di Plutarco volgarizzate da Girolamo ec. All'Altezza Reale di Ferdinando Primo di Borbone Infante di Spagna, Duca di Parma, e Piacenza ec. ec. In Verona nella Stamperia Moroni. Tomo I. MDCCLXXII. Tomo II. III. IV. MDCCLXXIII.

Nuove Canzoni Paſtorali, ed altre Rime diverſe di Girolamo ec. Si aggiungono alcuni ſuoi volgarizzamenti dal Greco. In Verona per gli Eredi di Marco Moroni MDCCLXXIX.

Volgarizzamenti dal Latino, e dal Greco del Marcheſe Ippolito Pindemonte Cav. di Malta, e di Girolamo Pompei Gentiluomini Veroneſi. In Verona per gli eredi di Marco Moroni MDCCLXXXI.

L'Epiſtole di Ovidio volgarizzate da Girolamo ec. Baſſano a ſpeſe Remondini di Ven. MDCCLXXXV.

Rime: *Leguntur plura Hieronymi carmina partim ſeparatim edita, partim in variis collectionibus.*

OPERA ABSOLUTA, SED NONDUM EDITA.

Orazioni ſei; ſopra la Ginaſtica; ſopra il buon guſto: sopra la Felicità; ſopra S. Filippo Neri; in morte del Pittore Gio. Bettin Cignaroli; in morte del Conte Andrea Nogarola.

Diſſertazioni due: dell'imitazione degli antichi Scrittori; ſopra le Paſſioni.

La Tamira, Tragedia.
Sonetti, e Canzoni.
Lettere.

OPERA INCHOATA.

Traduzione di Giuſeppe Flavio.
Traduzione degl' Inni di Callimaco Cireneo.
Della Cultura degli Ulivi. Poema in verſi ſciolti
Diſſertazione ſopra la fine del mondo.

Digitized by Google

Angelus Fabronius

Orlando Malevoltio Beninio

Senatori Florentino

et amicorum optimo

S. P. D.

Quaeris ex me, idque jam ſaepius, num putem Italos noſtros pares eſſe ceteris cultiorum nationum hominibus qua ingenio, qua doctrina, qua ſtimulis, quibus ad magna ſuſcipienda atque perficienda excitentur. Nemo, profecto unquam dubitavit in Italia omnes fere praeclaras diſciplinas atque artes aut inventas, aut renovatas fuiſſe, atque ab ea ad exteras commigraſſe gentes, ſic ut cunctarum quaſi dux & magiſtra jure merito-

Digitized by Google

que illa appellari poſſit (1). *Anne jam*

Frigent effoetae in corpore vires? (2)

Apage inſtiuſmodi dictum. Natura enim ſemper libera, dives ſemper ſuis in operibus, quae mater erga nos exſtitit, non illud profecto exuit ingenium, quod olim praetulit, neque effecta repente noverca eſt; ſed eos adhuc in Italico ſolo foetus edit, qui gloriam plurimo ſudore, plurimiſque vigiliis majorum

(1) *Ita Alembertius*. Nous ſerions injuſtes ſi . . nous ne reconnoiſſions point ce que nous devons à l'Italie; c'eſt d'elle que nous avons reçu les Sciences, qui depuis ont fructifiè ſi abbondamment dans toute l'Europe, c'eſt à elle ſur tout que nous devons les Beaux-Arts & le bon goût, dont elle nous a fourni un grand nombre de modèles inimitables. *Diſcours préliminaire de l'Encyclopédie*.

(2) Virgil. Aen. V. v. 396.

Digitized by Google

noſtrorum partam, nobiſque traditam tueri poſſint. Ne vetera recordemur, nonne inter omnes conſtare videtur noſtra hac aetate in uno Pedemontio exortos fuiſſe binos homines, quorum alter ſic phyſicam illuſtravit, ut neſciam an major poſt Newtonum exſtiterit, alter ſic in mathematicis disciplinis excellit, ut ei vel celebriores principatum nunc facile deferant? Vides jam me loqui de Beccaria, & de Grangio, quorum ne poſteritatem quidem omnium ſaeculorum immemorem fore arbitror. Cum hi eſſent, multi alii phyſici & mathematici magni & clari fuerunt, qui cum convenirent apud Regis Filium, Miſcellanea Taurinenſia (*ſic opus, quod ad V. volumina pervenit, modeſte ſane inſcribi libuit*) *edere potuerunt ornata adeo ac referta rebus ad phyſicas & mathematicas diſciplinas pertinentibus, ut aut vincere, aut certe aequare illa Acta Pariſienſia & Londinenſia judicata fuerint. Ita quae per aliquot annos conticuerat Academia, nunc denique experrecta eſt, nec de ſe mentitur in gloriando veteris gloriae ſe minime conceſſuram. Plures alias habemus hujuſmodi Academias ad il-*

las

las facultates provehendas , Bononienſem , Patavinam , Veronenſem , Senenſem , in quarum voluminibus ſunt ſumma , quae miremur , inferiora etiam, quae probemus . Par eſt enim omnes omnia experiri , qui res magnas & magnopere expetendas concupiverunt , & prima ſequentem honeſtum eſt in ſecundis tertiiſque conſiſtere . Multa naſcuntur , occidunt, fluunt , labuntur , nec diutius uno & eodem ſtatu eſſe poſſunt . Cultus tamen litterarum ita proprius eſt Italici ſoli atque caeli , ut in eo ſponte fere naſcantur . Proh ſuperi ! quot una Bononia tulit hac noſtra aetate ſummos homines , qui in omni arte quid efficere & quo progredi poſſent experti ſunt ! Non defuerunt huic urbi , ſicuti & Mediolano vel feminae , quas minime deterruit in philoſophia & matheſi a ſcribendo claritas & amplitudo Manfrediorum , quos praeceptores habuerunt (nec ſane dubitaverim Agneſiam , non ſecus ac Baſſiam inter Gabrielis Manfredii diſcipulos numerare , quod illa a Rampinellio obtinuit , quidquid ipſe Bononiae ex illius ſchola hauſerat) quaeque ſcriptis et exemplo effecerunt , ne multorum , qui ſe his

ſtudiis dediderunt, ſpes infringeretur, ac langueret induſtria. Admirabile eſt quantum inter omnes philoſophiae naturalis cultores unus excellat Spallanzanius, incredibile vero quot ſint in univerſa Italia hujus ipſius diſciplinae cultores eximii, & quae experimentis tota innititur & conſtat philoſophia, cujus ortum in Etruria reperimus, tot habet apud nos amplificatores, ut is hebes ac rudis putetur, qui illorum inventa non noſcat. Quot ſunt in Italia Lycea (& ſunt fortaſſe plura quam opus eſſe videatur) jactare poſſunt homines in aliqua facultate excellentes, quorum nomen ad remotiſſimas uſque regiones pervenerit; & quo tempore Patavinum gloriabatur ſe habere Anatomicorum principem (Morgagnium dico) eidemque prope parem ingenio & gloria Polenium ponebat, Piſanum hoc noſtrum ſuos & Grandios, & Friſios, & Averanios, & Perellios, & Politos, & Guadagnios honoris cauſſa nominare poterat. Quaeſo ubi juris prudentiae, divinarum rerum, antiquitatis, eruditionis, omniumque litterarum, quae ab humanitate nomen habent, ſtudia felicius coluntur, quam in Italia? Jam

Digitized by Google

*vero muſica, & artes illae, quae ad oble-ctandos oculos inventae fuerunt, niſi in illius caelo coaleſcere non poſſe videntur, noſtrique poetae non leguntur modo, ſed etiam ediſcuntur ab iis, qui tranſalpinas, & tranſmarinas regiones tenent. Porro ſi Italia unius imperio ſubjecta eſſet, quod quidem ad illius felicitatem minime conducere judicarim, & principem urbem haberet, ad quam, ut nunc Londinum, quondam Pariſios ingenii & doctrinae gloria praeſtantes homines gratiae, honorum & opum ſpe moti concurrerent, quam multi illi eſſent, & quam admirabiles in quoque genere non mediocrium tantummodo artium, ſed etiam maximarum facile eſſet videre. Quod vero plura in loca diſperſi ſint, id non ſine aliquo litterarum detrimento fieri putamus. Minor eſt enim aemulationis vis, neque tam facile ſubſidia induſtriae, inſtrumenta doctrinarum, atque homines, cum quibus de ſuis ſtudiis communicent, invenire poſſunt, deſunt omnino typographi, qui cum ſuorum quaeſtu compendioque iis praemia laborum ſuppeditent, & ſi quam mercedem a ſuis Princi_*

pibus accipiunt, tanta illa non eſt, quantam a ditiſſimis civibus, & multarum gentium domino ſperare potuiſſent, coactique ſaepe, ut ſuis rebus conſulant, in plura ſtudia diſtrahi, non ſic uni vacant, quaſi in eo tabernaculum vitae poſuiſſent, quod ad praeſtantiam eſſequendam plurimum ſane intereſſe arbitramur. His aliiſque de cauſſis, quas nunc referre non juvat, fieri videmus, ut noſtratium multi in alienis terris peregrinentur, liberaliora praemia ingenii in iis ſe inventuros ſperantes. Horum unum in Etruria natum, qui mihi nomine ſcriptiſque editis antea notus erat, vidi ego Berolini, atque ab eo petii, ut, ipſo lubente, liceret mihi ejusdem vitam declarare, & noſtram, vel illius potius vicem dolere, quod ut jactatae fortunae portum inveniret, externis moribus, inſtitutiſque ſe oblevisset. Benigne is indulſit, & quae de Caſtilioneo litteris mandavi, ad te mitto, amicorum optime, qui mihi a prima aetate in medullis haeſiſti, quique tanta charitate & amore me ſemper proſecutus es, ut te non ſolum in amici, ſed etiam in parentis loco habere debeam. Cu-

pio equidem officia in me tua, quae gratiſſima memoria incluſa habebam, publice teſtari, cum hoc ſit in communibus hominum ſenſibus, atque in ipſa natura poſitum atque infixum, ut grati cognoſcamur erga eos, per quos aucti & ornati fuimus. Vale, & ad hoc te iſto genere, iſtis opibus, iſto ingenio, iſta gratia natum puta, ut omnes, qui virtutem & litteras amant, per te ſubleventur. Iterum vale.

Piſis Kal. Novembris MDCCXCI.

Digitized by Google

Joannes Castilioneus.

NActi hominem Tuſcum in alienis terris doctrina clarum, ei hiſtoriae munus ſic perſolvemus, ut omnes intelligant juſtiorem nullam laudandi cauſſam poſſe reperiri, quam conjunctionem provinciae, quam officii, quam amicitiae, quam ſtudiorum ſocietatem. Is eſt Joannes Franciſcus Maurus Melchior Salvemini, qui Caſtilione nobiliſſimo Etruriae oppido, quod eſt inter Aretium & Cortonam, originem traxit, & Florentiae lucem adſpexit XVIII. Kal. Febr. an. MDCCVIII. Nam Joſephus pater hac in urbe ita juris prudentiam exercebat, ut inter optimos cauſidicos numeraretur. Certiſſima monumenta antiquitatem paternae familiae teſtantur, cumque matrem habuiſſet Mariam Magdalenam Bracceſiam, vel ut alio modo dicunt *del Braccio*, & *Bracci*, quae familia non ſolum nobilis apud Piſanos fuit, ſed etiam nota, quod ex ea prodiit Alexander ille, qui Appianum Alexandrinum e Graeco in Italicum convertit, ſe ſatis ſplendoris a

majoribus obtinuiſſe gloriari potuit. Domi inter initia aetatis ſuae educatus, vocibus & praeceptis tum patris, tum Paulli Cantinii, qui medicinam faciebat, quique ei affinitatis vinculis conjunctus erat, non nihil in mathematicis ſtudiis, ſicuti & in humanioribus litteris proficere potuit. Vix autem tulit perverſitatem illorum magiſtrorum, quos, degens in Seminario Florentino, audivit in philoſophia, cumque ad Academiam Piſanam Ferdinandi Collegii, ut vocant, alumnus veniſſet, magnos ſub Guidone Grandio progreſſus facere potuiſſet, niſi ſe abripi ſiviſſet ab aeſtu quodam ingenii atque aetatis, & niſi pater illum coegiſſet dare operam juris prudentiae, cujus inſignia, quamvis non admodum in illa profeciſſet, accepit ineunte Martio an. MDCCXXIX. Cum ille nullo flagraret praeclaro ſtudio, & ad multa ac varia eodem tempore leviter incumberet, ſuarumque actionum exempla ex diſſolutis adoleſcentibus peteret, dolebat pater ingenium, quod in illo elucebat, quodque ſaepe, etiamſi induſtria non alebatur, valebat tamen ipſum ſuis viribus, non poſſe ad aliquam artem quaeſtuoſam transferri: quare fre-

quentur & acriter illum increpabat, metumque animadverſionis eidem objiciebat. Numquam tamen ipſemet ſibi praecidit libertatem ac licentiam vivendi, loquendi, addam etiam cogitandi, cui ut liberius ac ſecurius obſecundaret, conſilium cepit Italiam deſerendi. Conſtitit primum apud Helvetios, & nomen aliquod obtinuit a Latinis verſibus, Italiciſque, quibus reddidit Anglicum Popii poema *de homine*, quod in vulgus recens prodierat. In Vaudi Comitatu erat Veveienſe collegium, quo in domicilio informabantur adoleſcentes ad plures artes atque diſciplinas. In eo Caſtilioneus (hoc nomine deinceps illum appellabimus, quoniam ſic ipſi nominari placuit) locum obtinuit, rhetoricae politioriſque humanitatis praeceptor dictus. Foris autem inſtituebat alios, ac praeſertim Britannos, qui in illa loca venire ſolent, tum Latinis Italiciſque litteris, tum mathematicis diſciplinis, quas coeperat vehementius excolere, quaeſtus neceſſitate & ſpe etiam gloriae inductus. Horum, maximeque Signoretii magnae ſpei, ſummaeque nobilitatis juvenis, qui in flore aetatis obiit, ut conſuleret commodo, commentariis illuſtran-

dam ſuſcepit *Arithmeticam Univerſalem* Iſaaci Newtoni, magnum ſane opus, quo hic ita amice conjunxit arithmeticam & algebram, ut nihil omnino deeſſet ſupputandi arti. Tum videre licuit ingenium Caſtilionei ſummorum hominum familiaritate, &, quod magis eſt, induſtria ſua adeo altum atque excultum fuiſſe, ut plurimarum palmarum nobilis atleta aliquando futurus eſſet. Serius tamen illa commentaria in lucem prodiere, de quibus ita judicatum eſt, ſatis feliciter Caſtilioneum loca obſcura explicaſſe, praetermiſſos calculos ſuppleviſſe, theoremata vix adumbrata demonſtraſſe, plura problemata tum arithmetica, tum geometrica multis variiſque modis enucleaſſe, ſuum priſtinum decus reddidiſſe ſyntheſi, qua ſaepe uſus eſt in hujuſmodi demonſtrationibus, & ubique magnam geometricae doctrinae ſegetem ſparſiſſe. Hujus copiis quo ditior factus eſt, eo majora attulit ad illud ipſum Newtoni opus illuſtrandum, & quae exaravit (vidi haec Berolini apud ipſum) ad duorum voluminum magnitudinem pervenere. Nimium fortaſſe laute, & ignoſcamus illi quod videatur reprehendere mathematicos, idcirco quia

deſeruerunt vias a veteribus tritas, ut novarum breviorumque inveniendarum cupiditati indulgerent. Quoniam cum Newtono omnino ſe rationem habere volebat, cui quidquid in mathematicis & phyſicis ſtudiis profeciſſet, totum ſe debere profitebatur, ſecum praeclare actum putavit, quod illius opuſculorum tria uſque volumina Lauſannae an. MDCCXLIV. edere potuerit. Quae ſcripta erat Britannica lingua Latina fecit, quae ſparſa erant collegit, quaedam inedita emiſit, obſcura notis, ut ajunt, patefecit, menda, quae librariorum culpa irrepſerant, amovit, denique nihil earum rerum omiſit, quae ad declarandam horum opuſculorum cauſſam atque argumenta, & auctoris vitam pertinerent. Sibi autem ignoſci voluit, quod

Propter egeſtatem linguae & rerum novitatem (1)

ad ſubtilitatem rerum minime adjunxit elegan-

---

(1) Lucr. lib. 1. v 140.

tiam Latini ſermonis, perſpicuuus tamen eſſe laboravit, imitatus ipſius Newtoni morem, qui contempſit ornatum orationis, dum quae ſcriberet intelligerentur. Erat inter Helvetios magni nominis magnaeque auctoritatis homo, qui in ea erat ſententia, illum optime Latine ſcribere, qui contorta & implicata uteretur oratione, quapropter petiit a Caſtilioneo, ut quae a ſe ad hunc ſcribendi morem perverſum, ejus praefationem, ut ipſe ajebat, corrigens, accommodaverat, vulgari ſineret. Sivit quidem, quamvis ei odioſi eſſent homines non tam moribus, quam oratione duri: verebatur enim illius offenſionem. Occultare tamen eidem non potuit haec non eſſe ſui ingenii, nec ea aures Italorum teretes pati poſſe. Neque hoc tacendum videtur ſive Caſtilionei, ſive quod probabilius eſt hominis illius, qui Lauſannae praeerat impreſſioni operis, culpa accidiſſe, ut in opuſculo illo, quod inſcribitur; *methodus Fluxionum & Serierum Infinitarum*, & in quo Latine reddendo Gallica Buffonii interpretatio edita Lutetiae Pariſiorum an. MDCCXL. expreſſa fuerat, minime emendaretur magni momenti erratum, quod in ha-

bendo calculo Buffonio ipſi exciderat. Hoc poſtea novit per ſe Caſtilioneus, quam ob cauſſam veniam a Lectoribus petiit. Cum in his ſtudiis contereretur, & ſatis inſtructus eſſet, ne in univerſa matheſi & phyſica peregrinus atque advena videretur, vulganaas ſuſcepit epiſtolas, quas invicem ſcripſerunt Leibnitius & Joannes Bernoullius, in quibus ſane permulta ſunt ad illas ſcientias illuſtrandas provehendaſque utiliſſima. Non mediocris laboris fuit diſtincte & ordinate illas diſponere, notis, cum opus fuit, illuſtrare, &, ut paucis dicam, ſic ornare iſtud *commercium philoſophicum & mathematicum* (ſic enim liber inſcribitur) ut nihil omnino illi deeſſet. Ejus quoque cura factum eſt, ut a Bouſquetio, qui illa omnia typis ſuis excuderat, ederetur *Introductio in analyſim infinitorum* ſummi Geometrae Euleri, cui cum bene cognita eſſet Caſtilionei peritia in hujuſmodi rebus, illi tanquam fideli tutori, quae ſcriptis conſignaverat, commendavit. Quamquam aliud ſit eſſe artificem cujusdam generis atque artis, aliud in aliorum inventis eſſe peritum, fatebimur tamen non mediocrem laudem tribuendam eſſe

Caſtilioneo, qui quantum in illa occupatione quotidiani muneris ſpatii ſibi dabatur, tantum in alienis ſcriptis vel edendis, vel exponendis conſumebat. Tum aetas coeperat mitigare ardorem impetu quodam animi concitatum, & vi naturae atque ingenii inflammatum, quapropter facile a ſe obtinebat, ut aliqua in re una ſeparatim ac diu elaboraret, ac diligentius famae ſerviret. Otio & facultati diſcendi majori ac maturiori acceſſit moderatio quaedam dictorum atque factorum, ſic ut coegerit interdum homines & feminas audaciſſimas obmuteſcere, qui Deum eſſe, & commoda, quibus utimur, lucem, qua fruimur, ſpiritumque, quem ducimus, ab ipſo nobis dari atque impertiri negabant. Senſerat haec aliquando & ipſe, ſed poſtea eumdem non ſolum piguit ſtultitiae ſuae, ſed etiam puduit, & qui deſertor fortaſſe extitit catholicae religionis, ſe chriſtianae ſectatorem eſſe non ſolum faſſus eſt, ſed etiam profeſſus. Cum apud Helvetios eſſet libentiſſime pro eo, quod nomen ejus magna erat apud omnes gloria, quodque utebatur familiariſſime multis doctis & potentibus viris, ceſſit tamen conſiliis amicorum,

qui uno eodemque tempore ei majora proponebant, ſi in Ultrajectenſi, vel Petropolitana Academia mathematicas & phyſicas diſciplinas profiteri voluiſſet. Illam priorem praetulit, ad quam acceſſit an. MDCCLI. Aſſignatum illi munus fuit inſtituendi adoleſcentes non modo in geometria atque aſtronomia, ſed etiam in omnibus illis partibus, in quas philoſophiam tribuere ſolemus, & collaudandus videtur, quod tantam jam eſſet facultatem adeptus, ut cum exercitatiſſimis compararetur. Multa & varia apud Batavos edidit, Diſſertationem adverſus Jo. Jacobum Rouſſojum de hominum aequalitate, Gallicam interpretationem operis, quod Italice ſcripſerat Donatus de Adriatico Mari, interpretationem aliam ex Britannica lingua epitomes rerum phyſicarum a Lokio factae, atque Diſſertationis cujusdam de miraculis a Campbellio Britanno exaratae, in quam & notas addidit, ac demum commentaria in Univerſalem Arithmeticam Newtoni, quae ſupra commemoravimus. Minime a me expectari puto, ut moneam quotquot fecit interpretationes Caſtilioneus, quanquam aliena uteretur lingua, pura veſtiviſſe oratione; hoc e-

nim exigebat illius ingenium, & aetas. Noli autem putare Caſtilioneum ſimilem illis fuiſſe, qui cum ad Olympiacum curſum veniſſent, ſtantes intra carcerem narrabant aliis quomodo Ladas, aut Borus cum Syconiis curſitaſſet: prodiit & ipſe quoque in artis mathematicae ſtadium, nec verebatur ne hac in re imprudens exiſtimaretur, cum omnem ejusdem artis pene infinitam vim & materiam ſcientia & cognitione comprehendiſſet. Ad id maxime illum ſtimulavit, & excitavit benignitas ac liberalitas Friderici II. Boruſſorum Regis, qui poſtquam per ſeptem continuos annos bellum glorioſiſſimum ſuſtinuiſſet, ad pacis ſtudia converſus cum aliis doctis viris Caſtilioneum ad ſe ſe vocavit. Anno MDCCLXIV. illum in Academiam Berolinenſem, quae ſcientiarum & litterarum dicitur, cooptavit, juſſitque inſtituere & erudire in mathematicis diſciplinis adoleſcentes, quos tormentis bellicis tractandis deſtinaverat. Mandavit quoque eidem, ut una cum Eulero, Merianio, Beauſobrio, Sulzerio, & Lambertio videret, ut eſſet unde ſumptus neceſſarii Academiae, quae nulli gloria concederet, ſuppeditarentur. Veniebat frequens

ad illam, & ſaepe dona vel penſa attulit, quae digna corona judicata fuerunt. Horum quaedam in ipſius Academiae Acta relata ſunt, ad quae delegamus lectores. Hos vero monendos putemus illa, quae pertinent ad novam rationem inveniendi generalem terminum ſerierum recurrentium, falſo Valmesleyo tributa fuiſſe, cum auctorem habuiſſent Caſtilioneum noſtrum. Non eſt credibile quantos hic ſuſtinuerit labores, ut ſatisfaceret muneribus ſuis, & voluntati Regis, & Herzbergi Comitis, qui eidem Regi graviſſimus auctor ad multa glorioſa ſuſcipienda, fideliſſimus adminiſter ad comparanda, & ſtudioſiſſimus adjutor ad perficienda fuit. Excudit Caſtilioneus omnia ea, ad quae inſtituendi erant adoleſcentes, & haec latent in theſauris ejus. Tractans vero illa, in quibus geometria verſari ſolet, quanquam, ut diximus, veterem maxime probaret, novam tamen & adamavit & coluit, ut promptus & non inexercitatus analyſta eſſet. Solent mathematici, cum ſe putant adeptos eſſe magnam ingenii gloriam, minime laborare, ut eam majorem efficiant minoribus ſcriptis. Sed Caſtilioneo nil tam curae erat, quam ut om-

nes

nes intelligerent, ſe multa & varia eodem tempore tractare poſſe, quod pollebat docilitate & memoria, quas virtutes, qui habent, ingenioſi vocantur. Friderici Magni juſſu Gallicam in linguam vertit Apollonii Tyanaei vitam a Philoſtrato exaratam cum commentariis Caroli Blountii Britanni in duos priores libros, qui illa magna ex parte ab Herbertio mutuatus eſt, atque haec res non mediocris laboris fuit, quod ſaepe conſutandus fuit impius auctor, & emendanda illius negligentia in citandis ſcriptorum locis, quae ita interpretatus eſt Caſtilioneus, ut poetas poetica lingua loqui voluerit. Nuncupatoria epiſtola ad Clementem XIV., quae praeit libro, ab ipſo Rege exarata fuit, qui Summi Pontificis fidem, dignitatem, auctoritatem ac religionem imploravit in judicando de falſis miraculis. Ii, qui bene norunt Regis ipſius ſenſus de divinis rebus, non dubito quin quaeſituri ſint, quid cauſſae fuerit, quare conſilium hujuſmodi ſuſceperit. Profecto, quas ſibi ſumpſit, partes Caſtilioneus optime tranſegit, quanquam non ſibi ſemper ſatisfeciſſe dicat in interpretandis Philoſtrati obſcuris locis, Galliceque

reddendis, univerſumque opus quatuor in volumina tribuit, quae Dekerius Berolini an. MDCCLXXIV. typis impreſſit. Poſt haec, ut ipſi Regi, qui non admodum Latinam linguam callebat, gratam rem faceret, Gallice reddidit Academicas Quaeſtiones Ciceronis; in illas addens quidquid Academici philoſophi veteres docuere, & illud praeſertim quod ſecundum naturam eſſet, quo juvaremur in vita, quodque bonum eſſe decreverunt. Hoc enim niſi in ipſa natura quaerendum eſſe, eique parendum dicebant, quanquam eorum ſaepe oratio nihil ipſa judicat, ſed habetur in omnes partes. Ceterum Cicero, eorum ſententias exponens, oſtendit quod genus philoſophandi minime arrogans, maximeque & conſtans & elegans arbitraretur, ut bene poſuiſſe operam judicandus ſit Caſtilioneus in illius libris interpretandis atque illuſtrandis. Non poterat ipſe non vehementer commoveri, quoties comparabat recentiorum quorumdam philoſophorum licentiam cum veterum ſapientia, cumque per illa tempora in lucem prodiiſſet Gallicum opus, quod *Naturae ſyſtema* inſcribitur, quoque nihil eſt per-

niciofius ad corrumpendos mores, evertendamque religionem, uno libello edito Berolini, collegit ſolidiora argumenta, quibus errores illius convinceret. Fortaſſe tum non videbat Gallia, multos eſſe in ſinu ſuo, qui dum gloriabantur ſe jura ſua reddere philoſophiae, tanquam furiae ad funus reipublicae convolabant. Utinam Caſtilioneus noſter, cum meditabatur quibus armis cauſſam religionis defenderet, tam facile vera invenire potuiſſet, quam falſa convincere. Munus & tribuendum amicitiae ipſe putavit, cum Gallicam feciſſet Italicam Algarotti vitam a Micheleſio exaratam, & hominis amiciſſimi memoria & recordatio jucundior illi erat, quod minime ſejungi poterat a Friderici ſui laudibus. Norunt enim omnes quanta hic benevolentia hominem ad litteras arteſque natum complexus fuerit. Haec, ut & alia hujuſmodi plura, de quibus, uno excepto opere Deninae de viciſſitudinibus Italiae, quod & Gallice reddidit, minime mentionem faciemus, laxamenta erant majorum occupationum. Tantum enim vigilabat in ſtudio, ut ne otium quidem ei eſſet otioſum. Neque propterea venditabat inge-

nium, aut jactabat diligentiam, quod nihil tam oderat, quam inanem oſtentationem, vel illos irridens philoſophos, quorum eſſet diſciplina oſtentatio ſcientiae, non lex vitae. In omni exercitatione id praeſertim ſibi proponebat, ut aliorum commodis utilitatique ſerviret; multa etiam tribuebat amicorum voluntati, cum eſſet ad omnem humanitatem accommodatiſſimus. Hoc quoque erit ejus bonitatis exemplum, quod quamvis patriae Italiaeque ſuae deſertor fuiſſet, ſic tamen eas amabat, deque illarum gloria ſollicitus erat, perinde quaſi in earumdem ſinu perpetuo vixiſſet. Diligens & pater familias fuit, cum tres habuiſſet uxores, ex quarum prima Eliſabetha Freſnia, quam an. MDCCXLV. Vervei in matrimonium duxit, amiſitque octo poſt annos, liberum ſuſcepit Fridericum Adolphum multis litteris, ac praeſertim mathematicis diſciplinis excultum adeo, ut Fridericus Magnus non ſolum in Academiam Berolinenſem illum cooptaverit, ſed & adhibuerit, ad erudiendos tum in matheſi, tum in philoſophia adoleſcentes, qui degebant in collegiis a ſe inſtitutis, ut eorum virtus domi militiaeque co-

gnoſceretur. Scripta ipſa Patris, quamvis multorum auctor ille fuerit, poterant ejus levare laborem. Nulla enim fere matheſeos pars exſtitit, quam non tractaverit Jo. Franciſcus, quamvis non omnia perpoliverit, ſic ut infinitam pene vim ac materiem hujus diſciplinae comprehendiſſe videatur (1). Hactenus, illo

---

(1) *Rem gratam lectoribus me facturum arbitror, ſi hoc loco exponam, quae ipſe in ſcriniis reliquit, quaeque apud ipſum vidi.*

. Arithmétique Théorique & Pratique, comprenant tout ce qu'il ſait des propriétés & des uſages des nombres, démontrée par la ſimple notion du mot *nombre*, & par les hypothèſes dont on eſt généralement convenu.

. Trigonométrie plane complète, dans la quelle il a ramaſſé toutes les formules trigonométriques données tant par les anciens que par les modernes, & il les a toutes démontrées à la manière des anciens. La partie qui renferme les propriétés des ſinus, des tangentes, et des ſécantes, & la manière de déterminer ces lignes, eſt beaucoup plus étendue que dans la Trigonométrie Italienne de Rondelli.

vivo, exarata a me ſunt, quae dum typis commiſſurus eram, nuntium ſane triſtiſſimum illius

---

Trigonométrie plane abrégée, où la partie, qui regarde les réſolutions des triangles eſt traitée d'une manière aſſez nouvelle, & propre à ſoulager la mémoire. Il a ajouté a une Trigonométrie tout ce qui regarde la pratique: uſage des Tables: réduction des angles au centre: réduction des angles au même horizon, petit traité des inſtruments ec. où il décrit une diviſion du cercle qui avec 76. diviſions donne les 360. dégrés du cercle: & avec un micromètre diviſé en 22. parties, les minutes; en ſorte qu'avec 99. diviſions on a le cercle diviſè en 21600. parties.

Traité des Logarithmes, tant ordinaires, qu'hyperboliques & logiſtiques.

Trigonométrie ſphérique.

Eſſai ſur l' Analyſe des anciens, avec nombre d'exemples.

Traité d'Algèbre avec pluſieurs problêmes géométriques réſolus de deux manières, algébriquement & par la méthode des Anciens, où l'on voit que preſque toujours la ſeconde mè-

mortis, quae accidit ſuperiori octobris menſe, accepi. Sic vir humaniſſimus, a quo totum id comperi, quod huic mandavi commentariolo, quemque plurimum amabam pro illius in litteris praeſtantia, bonitateque naturae, multis variiſque perfunctus laboribus anno acquievit aetatis ſuae octuageſimo tertio.

---

ne à des conſtructions plus ſimples que celles aux quelles conduit l'Algèbre.

Pluſieurs problêmes également réſolus par l'Algèbre & par la méthode des Anciens.

Traité des ſections fondé ſur l'équation générale, mais preſque tout démontré à la manière des Anciens.

Ebauche ſur la Géométrie des courbes.

Divers morceaux ſur les Méchaniques,

OPERA EDITA.

Iſaaci Newtoni Eq. Aur. opuſcula mathematica philoſophica & philologica collegit, partimque latine vertit ac recenſuit Jo. Castillioneus Jurisconſultus Vol. III. Lauſannae, & Genevae apud Marcum Michaelem Bouſquet & Socios 1744. in 4.

Virorum celeberr. Got. Gul. Leibnitii, & Johan. Bernoulli Commercium philoſophicum, & mathematicum Vol. II. Lauſannae & Genevae ſumpt. Marci Michaelis Bouſquet, & Socior. 1745. in 4.

Diſcours ſur l'origine de l' inegalité parmi les hommes pour ſervir de réponſe au Diſcours que M. Rouſſeau Citoyen de Genève a publié ſur le meme ſujet. Par M. Jean de Caſtillion, Profeſſeur en Philoſophie & Matématique à Utrecht & Membre des Académies Royales de Londres' Berlin & Gottingue, &c. &c. &c. Amſterdam chez F. F. Jolly Libraire 1756. 8.

Eſſai ſur la mer Adriatique composé en Italien par Donati. A la Haye chez Hondt 1756. in 4.

Abrégé de Phyſique écrit en Anglois par Loke. Amſterdam chez Schreuder, in 12.

Saggio ſull' uomo del Sig. Aleſſandro Pope tradotto dall' Ingleſe dal Sig Gio. Caſtiglioni Profeſſore di Mattematica nell' Univerſità di Utrecht. Ber

na a ſpeſe della Soc. Lett. appreſſo Abr. Wagner figlio 1760. in 8.

Arithmetica Univerſalis, ſive de compoſitione & reſolutione arithmetica. Auctore I. Newton Eq. aur. cum commentario Joannis Caſtillionei in almo Lyceo Trajectino Philoſophiae, Matheſeos & Aſtronomiae Profeſſoris Ordinarii &c. Vol. II. in 4. Amſtelodami 1761.

Obſervations ſur le livre intitulé; Syſtême de la nature. A Berlin chez Decker 1771. in 8.

Vie d'Apollonius de Tyane par Philoſtrate: avec les Commentaires donnés en Anglois par Charles Blount ſur les deux premiers Livres de cet Ouvrage, le tout traduit en François. Vol. IV. A Berlin chez G. I. Decker. Imprimeur du Roi 1774. in 8.

Les livres Académiques de Cicéron traduits & éclaircis par M. de Caſtillon de l'Académie Royale des Sciences & Belles Lettres de Pruſſe &c. Vol. II A Berlin chez G. I. Decker, Imprimeur du Roi 1779. in 8.

La vie du Comte Algarotti traduit de l' Italien.

Les révolutions de l'Italie par l' Abbé Denina.

His adde, quae ad illum ſpectant, quaeque relata fuerunt in Acta Academiae Berolinenſis.

ANGELUS FABRONIUS

DOMINICO DIODATO.

S. P. D.

ETſi ſatis ex amicorum litteris, quod tuum judicium eſſet de ſcriptis & doctrina Martorellii cognoram, lecto tamen commentariolo, quod de illius vita Italice ſcripſiſti, liquidius de toto ſenſu tuo judicavi. Quo quidem videris mihi magnam eſſe laudem conſecutus, quod gratus in amicum, amore, officiis, litteris, & patriae caritate tibi conjunctiſſimum, & aequus in judicando de iis, quae ipſe contulit ad optima ſtudia provehenda, facile exiſtimaberis. Adeo perplacuerunt mihi, quae in eo narras, ut materiem inde ſumpſerim alterius Latini contexendi commentarioli, in quo ſi ſatisfecero tibi, omnibus me ſatisfeciſſe arbitrabor. Erit vero tibi, ut ſpero, gratiſſimum tanti viri laudes iis litteris eſſe mandatas, quae ab omnibus gentibus

vulgo & legi & intelligi ſolent, cum vernacula noſtra rariores habeat legentes. Neque vero dubito, quin multi mihi ſuccenſuri ſint, quod Latina fecerim, quae ſunt Italice vulgata, cum late nimium diſſeminatum ſit hoc malum avertendi ſtudia hominum a veterum ſcriptorum imitatione. Lamentabatur ſaepe Martorellius hujuſmodi importatam eſſe calamitatem litteris, & qua voce, qua exemplo ita conſulendum civibus ſuis putavit, ut ſibi viderentur omne jam ad tempus ab illo ſordidiſſimo periculo tuti futuri. Et vero hoc perfecit, ut qui eum audiſſent, quemadmodum tute ipſe feciſti, veterem illam ſectentur formam ſcribendi, plenam rerum ſententiarumque, numeroſam, gravem, ut cum ſtylum transferunt etiam ad Italica conſcribenda, in eo tamen Graecorum Latinorumque mos quidam & color appareat atque extet, qui ſuaviſſima quadam delectatione teneat legentem. Quid vero ſunt niſi merae faeces ſcripta quorumdam hominum, qui gloriantur novum quoddam & inuſitatum ſe dicendi genus attuliſſe, ſi comparentur cum iis, quae e Graecia atque Latio ad nos pervenerunt? Qui haec ſecuti ſunt

multa laude digna perſecerunt, qui faſtidierunt, tamquam lucifugi adeo de via declinarunt, ut perpetuo deerrare coacti fuerint. Nonne ex uno Homero plures prodierunt Poetae, Oratores, Hiſtorici, & Philoſophi, quam ex equo Trojano Duces? Quis enim illo magniloquentior, quis omni colore, omnique poetica venuſtate conditior, quis in effingendis moribus hominum, & imagine vitae quotidianae exprimenda, quis in univerſa rerum natura noſcenda pingendaque callidior, quis ad omnes animi ſenſus commovendos aptior, quis inventione copioſior, quis denique ad omnes artes ac diſciplinas provehendas, et ad omnem vitam legibus & inſtitutis excolendam ſapientior? Vel cum dormitat, Jovi eum aſſimilaveris, qui expergiſcitur fulmina jaciens, vel aquilae, quae montium cacumina petit, ut quieſcat, poſtquam in aere immenſo volitavit. Nemo profecto ſimilis Homeri extitit, nec dubitamus in maxima Martorellii laude ponere, quod Ομηρικωτατος *dici voluit, adeo ut ex hominum numero ejiciendum, & ex finibus humanae naturae exterminandum illum pene putaverit, cui divinae Homeri vir-*

tutes non perplacerent. Nec diſſimulare poterat iracundiam ſuam, quoties audiebat abſtrahi ab exemplaribus Graecis adoleſcentes, quae prope in omni arte abſoluta atque perfecta eſſe videntur. Sane puduiſſet illum aetatis ſuae, niſi vidiſſet eſſe multos, qui cavebant, ne ex aliena levitate litterarum fortuna penderet, otioſorumque credulitate ipſarum ſumma falleretur, quapropter magnam animi contentionem tota vita adhibuit ad illorum fraudes detegendas, erroreſque oppugnandos, minime reverens ne in ſuis dictis ἀθυρρημονεστερος *videretur, cum ſtultitia & turpitudo hominum, in quos liberius invehebatur, eum vindicaret. Tu qui faviſti ſemper & dignitati, & gloriae ipſius, & egregiam laudem conſecutus es, tanti viri perſequens veſtigia, fac aequo animo accipias, quae de eodem litteris Latinis mandavi, tibique perſuade me quoque pro mea parte effecturum, ut retundatur ſuperbia, vel potius inſulſitas eorum, qui in omni ſermone jactant, noſtra haec inficeta tempora veteribus & differendi elegantia ſubtilitateque, & docendi prudentia eſſe anteponenda. Vale; & quoniam vel ad abſen-*

tium famam perveniſti, editis ſcriptis, doctis ſane & laborioſis, quae imaginem antiquitatis exprimunt, perge tenere iſtam viam, quam inſtituiſti, hominesque juvare earum rerum inquiſitione, quarum ignoratione in judiciis ferendis ſaepe peccatur. Iterum vale.

Florentiae Id. Quintilis MDCCXCI.

Jacobus Martorellius.

Multum ſane debent Graecae litterae, & Graeca antiquitas Jacobo Martorellio, quod non ſolum ab eo diligentiſſime cultae fuerint, ſed etiam quod per ipſum illarum colendarum ſtudium ad multos pervenerit. Natus ille Neapoli IV. Id. Januarii an. MDCXCIX. patre Thoma, quem puer amiſit, matre vero Urſula Viva, educatuſque in illius urbis Seminario, quo tum nullum erat illuſtrius & magiſtrorum nobilitate, & alumnorum frequentia, magni ſtatim ingenii ſigna dedit. Latinas litteras didicit a Cajetano Amato, Graecas a Joſepho Buonaccorio, Hebraicas a Symmaco Mazzocchio, jus Pontificium a Carmine Scatola, theologiam vero a Januario Fortunato, quorum omnium pervulgata ſunt nomina. Vix emenſo horum ſtudiorum curriculo, ideoneus habitus eſt, qui ceteris viam, quam ipſe ſecutus erat, monſtraret, & docuit primum Latinas litteras, mox geometriam, ac denique Graecam linguam. Permanſit in his muneribus vi-

ginti uſque ſupra octo annos, & cum ſcholae vacationem habuiſſet, non propterea Seminarium deſeruit, in quo tranquille & placide vitam traduxit. Quanquam minime efferri in vulgus ſatageret ſummos, quos impendebat labores ad omne doctrinae genus, & praeſertim Graecae aſſequendum, id tamen non latuit Regem, a quo an. MDCCXXXVIII. juſſus eſt vices gerere in publico Gymnaſio Antonii Fuſchii Graecae linguae Praeceptoris, quo novem poſt annos extincto, illi difficile non fuit in periclitanda doctrina multos competitores ſuperare, qui ad illud munus adspirabant. Graece ſcribebat ſic tum numeris ſoluta, tum vincta oratione, ut facile in eo cerneres nativum quoddam bonum, minime adſcitum, cujus rei publicum teſtimonium dedit, cum nuptias celebraſſet Caroli Borbonii Regis, & Amaliae Saxonicae. Ut vero conſuleret adoleſcentibus, quorum magnus numerus ad ſe diſciplinae cauſſa concurrebat, e Gallica in Italicam linguam convertit Grammaticam Graecam, quam Portus Regii, ut vocabantur, homines confecerant, & multis in locis auxit, Graecorumque Auctorum ſyllogen fecit, *qui*

ter-

terna dialecto Attica, *Dorica*, *Jonica in ſoluta & ligata oratione floruerunt*, *verſione* κατα λεξιν *adjecta*. Sed haec mediocria ſi conferes cum iis, quae differebat, ut diſcipulis ſuis fontes, unde haurirent uberrimam copiam omnis eruditionis, omniſque elegantiae formam, atque etiam itinera ipſa demonſtraret. Nihil enim erat in ſcriptis veterum, ſive ad ſcientias, ſive ad artes pertineret, quod ipſe ignoraret, pollebatque ſingulari ingenii acumine, ut obſcura interpretaretur, implexa enodaret, corrupta emendaret. Oedipum vero dixiſſes, cum aliquid veterum monumentorum explicandum ſuſcipiebat, & quod raro in aliorum veſtigia incurrebat, alienaſque ſequebatur ſententias, ſaepe materiem dedit invidorum reprehenſionibus. Id praeſertim intelliges ex opere, quod *de Regia theca calamaria*, *ſive* μελανοδοχειω, *ejuſque ornamentis* an. MDCCLVI. vulgavit, quoque nullum majus effecit, ſic ut ex hoc uno qui quantuſque vir fuerit cognoſci poſſit. Forte fortuna in agro Terlizzanio parvum, ſed elegans aeneum vas detectum fuit forma octogona, argenteiſque figuris diſtinctum, quarum ſingulae ſeptem ejus-

dem latera occupabant. Quotquot conſulti fuerunt antiquitatum explicatores, unguentarium illud vas eſſe judicarunt, quorum ſententia parum adeo arriſit Martorellio, ut novam omninoque ſuam proponendam putaverit. Id eo libentius ſuſcepit, quod rem gratam ſe facturum ſciebat Regi ſtudioſiſſimo appetentiſſimoque antiquitatis monumentorum. Non dubitavit igitur affirmare illud ipſum vas thecam eſſe calamariam, figuraſque in eo incruſtatas ſeptem repraeſentare planetas. Haec res materiem illi praebuit ad bina conficienda volumina, in quibus recondita adeo comparet doctrina, tanta in docendo edifferendoque ſubtilitas, ut vel iniquis ſecus exiſtimandi nihil reliquiſſe loci videatur. Statuit primo veteres Latinos, Graecos, Aegyptios, atque Hebraeos in vulgari ſcriptione minime uſos fuiſſe ceratis tabulis, ac ſtylo, ſed theca calamaria, atramento, & calamo. Perſarum quidem proprium fuiſſe uſum ceratarum tabularum, has interdum adhibuiſſe Latinos vel cum ſcribere docerent pueros, vel cum litterulas ad amicos darent, vel cum ſuffragia ferrent, ceteris vero in ſcriptionibus illum priorem morem a-

pud ipſos magis uſitatum fuiſſe. Probare nititur forma quadrata fuiſſe antiquorum libros, Latinoſque membranas convolvere conſueviſſe in libellis, in teſtamentis, in contractibus, ceteriſque publicis actis, atque hujuſmodi volumina, minime vero manu ſcriptos libros proprie dicta fuiſſe *codices*. Quibus autem nominibus ab Hebraeis, a Graecis, atque a Latinis appellaretur theca calamaria pluribus differit, haud pauca proferens, quae ceteros ſcriptores fugerant. Haec autem in prima operis parte. In ſecunda perſuadere adlaborat ita diſpoſitas fuiſſe ſeptem illas figuras, planetas cum ſuis ſymbolis, quae explicat, exhibentes, ut ſingulae ſingulis hebdomadae diebus reſpondeant. Ipſum vero opus ſingulari artificio perfectum occaſionem illi ſuppeditat dicendi de arte, qua pollebant veteres, in incruſtandis, conjungendisque varii generis metallis, cujus ipſius artis vocabula longa oblivione intelligi deſita revocat atque exponit. His minime contentus rebus vel indagare ſtuduit cujum fuerit vas, & qua aetate perfectum. Quod fere pleriſque antiquitatum explicatoribus accidit, ut longe a pro-

poſito digrediantur, ſibi libere vagari licere putavit Martorellius, ea opinione ductus, quod pertinuerit vas ad Neapolitanum Aſtrologum, qui Auguſti aevo vixit. Quaerit enim quantum antiquis temporibus viguerit Neapoli Aſtrologiae ſtudium, quae eſſet illius urbis lingua, quae imperii forma, quae inſtitutiones, quae *Fratriae*, ac cetera hujuſmodi, non ſecus ac ſi illi de omnibus Neapolitanis antiquitatibus fuiſſet diſſerendum. Spargit ſane ubique magnam eruditionis copiam, conſulit numiſmata, inſcriptiones, & quidquid in apricum protulit aetas, ex Graecis, Latinis, diviniſque ſcriptoribus petit teſtimonia, nihil affirmat, cujus probabilem rationem non reddat, omnino nova profert, & incognita detegit, nihilo tamen minus ſaepe eidem objiceres Horatianum illud, *non erat hic locus*. Haec eadem ratio eſt in aliis Martorellii ſcriptis, qui ut abundabat doctrina, & incredibili quadam varietate rerum & copia, nil tam vereri videbatur, quam ut legentis ſigna daret. Neceſſe illi fuit certos ſibi fines terminoſque conſtituere, extra quos egredi non poſſet, cum a Rege juſſus fuiſſet reſtituere, quae edax tempus, & hominum

negligentia abſumpſerat in ſacello a Joviano Pontano extructo, multiſque antiquitatis monumentis exornato, quod ita praeſtitit, ut non ſolum manca ſuppleverit, ſed aliorum etiam errores in iis interpretandis emendaverit. Id praeſertim intelligi poteſt ex binis illis Graecis inſcriptionibus, quas Gruterus, vir ceteroquin doctus & ſapiens, retulit in thesaurum ſuum, ſi ita nominare lubebit immenſam illam antiquarum inſcriptionum collectionem. Prorſus licebat Martorellio gloriari multa ſibi in mentem venire acuta atque ſubtilia, quae veriſimilem reddebant rationem eorum, quae vel obſcuriſſima putabantur; cumque Graecum epigramma in anaglypho ſcalptum, quod puerum medium binis viris interjectum exhibebat, ſupplendum interpretandumque ſuſcepiſſet, quanquam nihil attulerit, quod non diu conſideratum, & multo ante meditatum eſſet, ejus tamen dicta in multorum reprehenſiones incurrerunt. Hinc ortae aſperiores controverſiae, quae diu nimium torſerunt Martorellium, cui minime conveniebat cum adverſariis non ſolum de ſcripti interpretatione, ſed etiam de imaginum ſignificatione. In ſententiis ferendis

novitate ille mirum in modum delectabatur; atque ab ea ſe abripi patiebatur, quapropter ſi ipſum audiviſſes, ut aliquid exempli cauſa ponam, nec Helena a Paride rapta fuit, cum ipſa ad urbem Ilium legitima ſponſa venerit; nec Homerus raptum hunc ſibi poematis argumentum ſumpſit, ſed Trojanum bellum; neque Graeci, niſi injuria, culpari poſſunt, quod in παιδεραςιας vitium propenſi fuerint, cum lex nulla publica extiterit, quae huic vitio faverit; quod vero Sybillae antrum vulgo dicitur prope lacum Averni, ſubterranea fuit via a Coccejo Agrippae aetate excavata, & alia hujuſmodi plura, de quibus minime neceſſe arbitramur mentionem facere, quae cum adverſarentur receptis ſententiis, materiem illi dederunt ſua defendendi, & aliena oppugnandi. Egit & de originibus Neapolitanis conjuncta opera cum Michaele Macciucca diſcipulo ſuo, a quo vehementer rogatus fuit, ut ſibi auxilium ferret, cum ſcribendum opus ſuſcepiſſet de veteribus coloniis, quae Neapolim advenere. Horum ſententia Phoenicii poſt captam Cananaeam a Joſue, duce Eumelo, ad Parthenopen appulere, ab iis ſic dictam, ut

beatum caelum ſignificarent, & Phoenicia quoque ſunt nomina ***mons*** *Hermus*, *Echia*, *Phalerus*, *Megaris*, *Sebethus*, *Veſuvius*, atque horum ſimilia; ab his primis coloniis Dei Ebonis, cujus erant plurima ſimulacra, cultus invectus fuit bovina forma, capite vero ſenis hominis expreſſi, exemplo Hebraeorum aurei vituli cultorum; LXIV. Olympiade deducta eo fuit a Cuma colonia Euboicorum, quae de majoribus Diis eamdem, quam reliquae gentes, opinionem habebat, quaeque Homericam ſcholam omnium celeberrimam condidit; ac demum duo fere poſt ſaecula, Mopſopo duce, nova colonia Athenienſium venit, quae quod dedita erat ſcientiis & artibus, multa tradere ſolebat in Fratriis juventuti de ſideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate, & de ornanda Attica dictione, quae ſola coeperat eſſe in honore atque uſu. Horum adventu binas in partes diviſa eſt civitas, quarum alteram *Palaepolin* dictam Euboici, alteram *Neapolin* Athenienſes incoluere. Civitati maximam laudem fuiſſe putant, quod Homerus & Heſio-

dus ſaepe ad loca, quae ſunt circa eam, reſpexerint, & illorum notitia multa ad inventionem fabularum iisdem ſuppeditaverit, quodque orti Cuma Euboicorum quodammodo inter Palaepolitanos cives numerari potuerint. Multa ſunt alia in hoc opere, quae prima ſpecie admirationem, re autem explicata, aſſenſionem etiam movere poſſunt, & ſi tibi omnia non probabuntur, laudabis profecto in Martorellio, quod de rebus antiquiſſimis acutiſſime eruditiſſimeque, quanquam non ſemper vere, diſſeruerit, quodque Neapolitanae urbis rectiones, ſtatum, mutationes, leges etiam & inſtituta, & mores perſcripſerit. At quibus utatur homo acutus argumentis ad probandum, non eſt hujus loci conſiderare, praeſertim cum ejuſmodi ſint, ut eorum alia eligenda, alia rejicienda, alia omnino negligenda ſint, quae dum ſibi ex animo evelli nollet, durior interdum evadebat oratione & moribus. Cum valeret ingenio, haberet uſum, & jam pridem in hoc genere ſtudiorum litterarumque verſatus eſſet, ſatisfacere immortalitati laudum ſuarum ſe poſſe putabat, cum nova preferret, adverſarios autem caſtigare, cum adlaboraret

Αιεν αριϛευειν, και υπειροχον εμμεναι αλλων (1).

Magna ſane levatio laborum fuit illi, quod patriae conſuluerit, quodque is, qui illam regebat, & ornatam cupiebat, ſuis ſcriptis plurimum plauſerit. Hunc ſane commovit admonitio locorum, in quibus tot inſunt veſtigia veterum Graecorum, ut juberet eſſe in Lyceo Neapolitano, qui Graecas antiquitates explicaret, neque dubium eſſe poterat, cui hoc munus deferretur, vivente Martorellio. Sed illa, quam tum vivebat, non erat vita, cum hydrops mortem moliretur. Subito illa erupit in pectore, dum apud Maciuccam diverſabatur, vixque temporis ſpatium illi reliquit, quo ſe ad mortem Chriſtiane obeundam praepararet. Extinctus eſt XI. Kal. Decembris an. MDCCLXXVII. cum annos LXXVIII. menſes X. dies autem XI. compleſſet, ſepultuſque fuit cum pompa funeris in Aede S. Annae prope cadaver amiciſſimi viri Paſchalis Cyrilli. Quanquam floruerit doctorum hominum, ac prae-

---

(1) *Semper egregie ſe gerere, & aliis antecellere. Homer.* Iliad. H.

ſertim abſentium amicitiis, gaudebat tamen ſolitudine, quae illi erat pro frequentia, & cum animus illius ſuſtentaretur litteris & aleretur, in his tota ejus ambitio & cupiditas niti videbatur. Qui quantuſque vir eſſet non facile judicaſſes, niſi in mentem ejus introſpexiſſes, quae nullo erat erudita artificio ſimulationis, & a qua ſemper abſuit calliditas illa, quae imitatur ſapientiam. Deridebat levitatem illorum, qui gloriantur alienis bonis, & qui in contexendis libris nihil afferunt aut reconditum, aut inauditum, aut novum. Horum noxiae, ajebat, poena par eſto, contemptus hominum. Hortamur quidem omnes adoleſcentes, qui ſtudio ducuntur antiquarum rerum, ut imitentur Martorellium, ex cujus ſcriptis cum omnis doctrina liberalis, omnis hiſtoria, omnis ſermo elegans ſumi poteſt, tum varietas eſt tanta artium, tanta cognitio Graecorum poetarum ac praeſertim Homeri, ut nemo ſine eo inſtrumento ad ullam rem illuſtriorem ſatis ornatus poſſit accedere. Quapropter de eo vere dixiſſe videtur Macciucca:

Inclusum, cernis, divino pectus Homero,
Nil mirum, bene ſi ſcripſit, & edocuit.

OPERA EDITA.

Oratio, epithalamium & Anacreonticum carmen, omnia graece ſcripta; *extant in Collectione, cui titulus*. In Regis Caroli Borbonii & Amaliae Saxonicae Nuptiis Regiae Neapolitanae Academiae obſequentis officium. Neapoli. 1738. In 4.

Oratio habita III. A. D. Non. Nov. anni 1741. in Regia Academia.

Poetarum delectus, in quo habentur carmina excerpta ex M. Valer. Martiale, C. Valer. Catullo, Alb. Tibullo, & Sext. Aur. Propertio ad uſum adoleſcentium Seminarii Neapolitani, brevibus adnotationibus illuſtrata cum divite rerum, & verborum indice. Appoſita eſt initio Diſſertatio de vera Epigrammatum pulchritudine 1747. in 8.

Lettera indirizzata ad Anton Franc. Gori ſu d' Ercolano. *Extat in Vol. II.* delle ſimbole letterarie del Gori pag. 146.

La Grammatica Greca di Porto Reale, tradotta dal Franceſe, diſpoſta in miglior ordine con varie giunte 1752. Tomi II. in 8.

Graecorum Auctorum ΣΥΛΛΟΓΗ, qui terna dialecto Attica, Dorica, Jonica, in ſoluta & ligata oratione floruerunt verſione κατα λέξιν

adjecta pro adoleſcentium tyrocinio concinnata 1753. in 12.

De Regia theca calamaria, ſive μελανοδοχειῳ, ejusque ornamentis 1756. T. II. in 4.

Lettera al P. Ignazio della Croce Agoſtiniano Scalzo ſu d'una gemma colla teſta di Elagabalo. *Extat in Vol. III. operis, cujus eſt inſcriptio*: Opuſculi ſcientifici ſtampati in Venezia nel 1757.

Ragguaglio delle Iſcrizioni Pontaniane illuſtrate, ſupplite, ed interpretate. In fol.

Απολογȣμενα pro Graeco epigrammate latine converſo ab Jacobo Martorellio adverſus accuratiores poſterioris Editoris animadverſiones, in fol. 1759

Jacob: Martorellii απολογȣμενων δευτερων Pars I. adverſus Anonymi amarulentiſſimi, ac doctiſſimi Triptychon inſcriptum vindiciae; in fol. 1759.

Inſcriptiones, carmina, tum Graeca, tum Latina. *Si haec omnia unum in corpus colligerentur, plura conficerent volumina.*

Quae ad Martorellium pertinent de Neapolitanis originibus, vide ea in opere, quod inſcribitur; Dell'Antiche colonie venute in Napoli Volumi III.

OPERA INEDITA.

Parere ſu di un Codice acefalo delle Coſtituzioni Greche di Federico II. Imper., trascritto in Sicilia, ed indirizzato a D. Domenico Salomone, Conſigliere della Real Camera di S. Chiara.

Ragionamento ſul preteſo Ratto di Elena.

De origine Graecarum litterarum, ſeu ϛοιχειων Diſſertatio,

Diatriba de Amphictionibus.

Perbreves in Athemiſia numiſmata animadverſiones.

Graecanicae Geographiae elementa.

Graecae Hiſtoriae & Chronologiae elementa.

Relazione di ciò che ſi è ritrovato, e ſi permette oſſervare nel cavamento del vecchio Ercolano preſſo Napoli con brevi rifleſſioni.

Diſſertazioni filologiche ſopra diverſi argomenti.

De Paederaſtia Graecorum. *Magna horum ſcriptorum pars extat apud Vincentium Meolam, virum litteris excultum, editisque operibus clarum.*

ANGELUS FABRONIUS

FRANCISCO FALCHIÒ

S. P. D.

S*Aepe & multum hoc mecum cogitavi, boni ne an mali plus attulerit hominibus rerum metaphyſicarum inquiſitio. Nam cum Chriſtianae religionis detrimenta conſidero, & ſanctiſſimorum dogmatum infirmatam auctoritatem animo colligo, per eos, qui ſe philoſophos eſſe idcirco gloriantur, quod res a vulgari cognitione remotas quaerunt, & divinam rationem humanae, ingenio nimium praefidentes, temere ſubjiciunt, non minimam video invectam eſſe partem incommodorum. Cum autem repetere inſtituo quantam opem contulerit metaphyſicorum cognitio, ad ipſa Eccleſiae dogmata propugnanda & firmanda, cumque animadverto multa*

ex eodem fonte fluxiſſe ad noſcendas animorum naturas, ad mentis vim acuendam, ad rerum cauſſas videndas, & ad comprehendenda omnium artium & diſciplinarum principia, in eam facile ſententiam ducor, ut exiſtimem omnem ſapientiam ſine mataphyſica parum prodeſſe hominibus, metaphyſicam vero ſine prudentia nimium obeſſe plerumque, prodeſſe nunquam. Diximus alias de hujus diſciplinae vel virtutibus, vel vitiis (1) *quae ſi quis transferre velit in eos, qui ipſa abutuntur, ne rerum naturam, quam errorem noſtrum damnare malle videamur, valde illi aſſentiar. Porro qui ita philoſophantur, ut auctoritatem divinam contemnant,*

Faciunt, nae', intelligendo, ut nihil intelligant.

Modicis enim adeo regionibus circumſcripta eſt humani ingenii vis, ut qui in iis profe-

---

(1) Vid. Vol. XII. pag. 272.

rendis laborant, emolumenta rerum ſaepe fallacibus judiciis videant, & in errorem turpiter labantur. Eſt & aliud genus hominum, qui omnem philoſophandi libertatem tanquam religioni inimicam averſantur, & vultum tam importunum in publicum deferunt, ut cruces & tormenta minentur iis, qui contendunt philoſophiam non tam in aliorum praeceptis ediſcendis eſſe poſitam, quam in mentis vi exercenda, acuendoque ingenio, in natura, naturaliumque rerum principiis inveſtigandis, in quaerenda veritate ſuopte judicio ac ſenſibus, & in aliorum erroribus, praejudicatisque opinionibus detegendis atque convellendis. Sunt alii denique, qui ut pecudes ſui generis ſequuntur greges, ſic ipſi a veſtigiis, quibus primum inſtitere, pedem referre non audent, & aſſuetudine ſerviendi ſervile adeo contraxerunt ingenium, ut penes illos etiam ſine ratione valeat auctoritas eorum, quos ſemel probavere. Si audiviſſes aliquem eorum, qui Ariſtoteli addicti & quaſi conſecrati erant, non putaſſes poſſe Peripateticam, ſeu verius Arabicam philoſophandi rationem everti, quin theologia everteretur, atque obſcuraretur,

ſta-

ſtabili adeo; ſi ſuperis placet, inter ſe conjugio junctae ſunt. Qua quidem re quid non dicam abſurdius, ſed religioni Chriſtianae pernicioſius dici poteſt? Quaſi nimirum non poſſit Chriſtianorum religio ſtare ſine Graecorum atque Arabum philoſophia, quam verſari in ſummis erroribus, & maximarum rerum ignoratione nullus nunc eſt ſanae mentis, qui non videat. Non hos philosophos eſſe cenſeo, probavique ſemper eam Lactantii Firmiani ſententiam (1): oportet in ea re maxime, in qua vitae ratio verſatur, ſibi quemque confidere, ſuoque judicio ac propriis ſenſibus magis niti ad inveſtigandam & perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipſum rationis expertem . . . . . Quare cum ſapere, ideſt, veritatem quaerere omnibus ſit innatum, ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. *Is igitur eſt verus, is perfectus, is ſolus philosophus, qui ex-*

(1) Lib. II. Cap. VIII. *Divinar. Inſtit.*

plicat atque excutit intelligentiam ſuam, ut videat quid in quaque re verum ac veriſimile ſit, qui attingit ea, quae ab exquiſita quadam ratione & doctrina proficiſcuntur, & ingenue fatetur ſe ignorare, quae Deo occultare nobis libuit, qui ſibi velis remiſque, ut dicitur, decertandum cum iis putat, quos libido cogitandi & agendi ad omnem errorem diſſeminandum, & ad omne facinus ſuſcipiendum compellit, & qui in vita agenda atque in re publica adminiſtranda principia & cauſſas rerum videt, earum progreſſus atque anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines atque exempla inter se comparat, rebus praeſentibus adjungit atque adnectit futuras, neque progreditur longius, quam ſapientis hominis cogitata ratio poſtulat. Quo effraenata cupiditas atque ambitio rapuit metaphyſicos quosdam, qui omnia licet revocantes ad leves conjecturas, attamen quaſi agnatio cum caeleſtibus iis eſſet, ſe ſolos conſtituendae reipublicae, & moderandae vitae rationem tenere, se illa myſteria, quae Deus celavit, enodaturos, ſe libertatis vindices & omnium humanorum jurium defenſores futuros, se deni-

que temporum illorum caliginem, quibus nec quae ante oculos erant cernebant homines, discuſſuros gloriantur? Hoc genus hominum non modo abhorret a majorum conſuetudine atque religione, ſed etiam ab hujus ſaeculi licentia, quorum niſi impunita ſcelera tuliſſent regnorum moderatores, non dolerent nunc in ſe ipſos converſos eſſe illorum nefarios conatus. Vidit haec omnia vir sane ſingulari ingenii acumine praeditus Antonius Genuenſis, & cum diu ſe exercuiſſet in metaphyſicis rebus, quas praeſertim adamabat, aliquid hujusmodi ſe prolaturum ſperavit, quod mederetur & veterum ſervituti, & recentiorum licentiae. Verbis loculentis & pluribus univerſam diſciplinam comprehendit, & prudentiorum conceſſu vicit omnes eos, qui haec ipſa antea attigerant. Verum id praeſertim ſibi propoſuit, ut quoniam nimis exiguae & anguſtae ſunt, quas de animis habere poſſumus notiones, mentem ſaltem hominis uſque eo diſciplina ipſa corroboraret, ut virtutem efficeret, ex qua re una vita felix & beata eſſe poteſt. Nihil enim aliud eſt felicitas, ad quam omnes, natura duce, feri-

mur, niſi bonorum conſiliorum, honeſtarumque actionum proſperitas, quare praeclare ab iis ſuſceptam operam philoſophandi arbitrabimur, qui, omnibus rebus poſthabitis, totos ſe in optimò vitae ſtatu exquirendo collocarunt. Alia plura idem tractavit, volens hominum, quorum periculis commovebatur, commodis, utilitatique ſervire, qua de cauſſa eam celebritatem famae obtinuit, ut ſi quis unquam noſtratium alius, fuerit abſentibus notiſſimus. Par igitur erat ut nomen quoque illius ſcriptis celebraretur, & illuſtraretur noſtris, quae ſi aequabunt tanti viri merita, vel ut modeſtius loquar, ſi tuam explebunt expectationem, qui de me ſemper amice judicaſti, magnum laboris fructum me percepiſſe arbitrabor. Illud vero & tibi profiteor, & ceteris, in quorum haec manus venient, non omnia, quae Genuenſis edidit, plane mihi probari, quemadmodum nec tute omnia probas: ſed quoniam ab hiſtorico res & ſcripta clarorum virorum exponi debent, ab theologo autem exquirendum in quo quiſque offenderit, aut lapſus fuerit, primum illud ex inſtituto meo mihi adsumo, alterum iis, quorum

proprium eſt, integrum atque intactum relinquo. Reſtat, ut tibi ex animo gratuler, quod auctus fueris Pontificatu Piſtorienſi, & quantum conjectura auguror, non deſpero fore, ut per te, munita communi arce bonorum, obſtructiſque perfugiis improborum, qui non parvi animi eſſe videntur, illa Dioeceſis, quaſi nova luce recreata, reviviſcat. Vale.

Florentiae Kal. Octobris
MDCCLXXXXI.

Antonius Genuensis.

Locupletiſſimus eſt auctor Cicero, Leontem, cum Pythagorae ingenium admiratus eſſet, quaeſiviſſe ex eo, qua maxime arte confideret? atque illum reſpondiſſe, ſe ſcire nullam, ſed eſſe philoſophum (1). Minime quidem verebatur arrogantiae crimen Antonius Genuenſis, cum hoc dictum ſibi & convenire putaret, qui omnem vitam contrivit in excitandis atque inflammandis omnium animis ad philoſophiae ſtudium, ferens multa in inculto & quaſi derelicto ſolo, quae poſteris ſuis, alterique ſaeculo ſaltem profutura judicabat. Sed ab initio eſt ordiendum. Natus is eſt Caſtelione, parvo, ſed ſatis florenti Salernitanae provinciae oppido, Kal. Novembris an. MDCCXII. parentibus Salvatore Genuenſi &

(1) V. Tuſc. Cap. VIII.

Adriana Alſenita. Nactus eſt patrem acerbum & ſeverum, qui familiae utilitatem unice reſpiciens, illum quamvis natu maximum quatuor, quos ſuſceperat, liberorum, Eccleſiae militiae deſtinavit. Ea propter erudiendum curavit tum in humanioribus litteris, tum in philoſophia, ut per eas ad majora veniret paratior. Sed tanta fuit in praeceptoribus perverſitas, ut dediſceret pene diſcendo. Quadam tamen ingenii vi multa videbat acute, & ſubtilis adeo diſputator erat, ut in illis ſcholaſticis exercitationibus condiſcipulorum nemo par illi eſſe poſſet, & ſuis acuminibus vel ipſos praeceptores compungeret. Unum reſtabat malum Antonio noſtro, ut ſtudioſe & multum volutaretur in Romanenſibus fabulis, ſed hae viam ſtraverunt lectioni Q. Curtii, Svetonii & Plutarchi, & tum primum aliquid ſe didiciſſe ingenue profeſſus eſt. Poſt haec a patre ita deductus eſt ad theologiae ſcholaſticae & juris pontificii magiſtros, non ſecus ac ſi in his diſciplinis vitae tabernaculum ponere debuiſſet. Sed quoniam nihil fit, invita, ut dicitur, minerva, & pertoederet Antonium paternae acerbitatis, hujus levatio-

nem ab juvenilibus oblectamentis quaeſivit, & habuerat hoc ab natura, ut ſpecies ejus & pulchritudo cum coloris bonitate, procera ſtatura, & morum ſuavitate conjuncta mirum in modum delectaret. Deperiit Angelam Dragoniam ſeminam ruſticanam, ſed in qua forma erat liberalis & elegans, quod ut comperit pater, adoleſcentem, qui tum viginti erat annorum, a patria amovit, & Buccini conſiſtere coegit. Favit illi fortuna, quod eo in loco ad amicitiam ſe contulerit Joannis Abbamontis viri ſatis docti Graecis Latiniſque litteris, & civilibus diviniſque legibus. Hoc conſiliario & duce, cum renovaſſet ſtudia ſua, miros in iis progreſſus fecit, non tam ingenii viribus, quam vigilantia prope incredibili. Imitandos enim ſibi eſſe dicebat illos viatores, qui ſi ſerius, quam voluere, forte ſurrexerint, properando etiam citius, quam ſi de nocte vigilaſſent, perveniunt eo, quo iter intenderant. Tali modo cum per biennium induſtria ſingulari aluiſſet ingenium, & agricolae cuidam jam nupta eſſet Dragonia ſua, remeavit in patriam, ſancte affirmans patri omnia ex illius voluntate ſe ſe facturum. Tum ab Ar-

chiepiſcopo Salernitano Subdiaconatum, ut loquimur, ſuſcepit, & cum faceret, ut moris eſt, periculum doctrinae ſuae, tanta fuit admiratio copioſe ſapienterque dicentis, ut non multo poſt idem Archiepiſcopus ipſi onus commiſerit docendae eloquentiae in illius civitatis Seminario. Porro ſi humanioribus litteris in primis navare operam voluiſſet, numerari in principibus facile poterat. Luculenter enim & Graece & Latine ſciebat, motuſque animi in eo celeres & acuti erant ad inveniendum atque excogitandum. Jam vero quanto polleret acumine in interpretandis Graecis ſcriptoribus, ex iis, quae in ſuis libris ſparſit, conjici facile poteſt. Biennium eo in loco fuit, ſe ipſum magis, quam alios docens. Ex continua enim ſacrorum librorum, & Eccleſiae Patrum operum lectione hauriendam theologiam & juris Chriſtiani diſciplinam putavit, ac multa praeſertim ex Chryſoſtomo, Auguſtino, & Thoma Aquinate ſepoſuit, quae tanquam aliqua materies ad opera, quae meditabatur, conficienda ſibi aliquando uſui futura eſſent. Hi labores non erant ſine ſpe non modo gloriae, ſed etiam praemiorum, quae ſibi ab Archiepi-

ſcopo proponebantur. Sed cum hic e vita an. MDCCXXXVI. migraſſet, & mortem quoque obiiſſet homo maximis amicitiae & propinquitatis vinculis ſibi conjunctus, qui Salerni gravi munere perſungebatur, de hac civitate deſerenda cogitavit, Neapolimque acceſſit, incertus tamen quem vitae curſum teneret, quamvis presbyter eſſet. Si patrem audiviſſet, fori tentaſſet fortunam, & poterat facile, cum minime hoſpes eſſet in juris prudentia, & ingenii illius fines prope immenſi eſſent; ſed ſe ipſum conſuluit, & hominum commodis utilitatique, magis quam ſuae ſervire deliberavit. Ut quondam Pythagorae, ſic ſimilis videbatur ei vita hominum, & mercatus ille, qui habebatur maximo ludorum apparatu totius Graeciae celebritate. Nam ut illic alii gloriae ſpe, & nobilitate coronae, alii emendi aut vendendi quaeſtu & lucro ducebantur, alii demum, quod erat maxime ingenuum & rarum, nec plauſum, nec lucrum quaerentes proficiſcebantur perſpiciendi cauſſa quid ageretur, & quomodo, ita Genuenſis, quaſi in mercatum quemdam in hanc vitam veniſſet, ceteris omnibus pro nihilo habitis,

contemplationem rerum cognitionemque, nihil ſibi acquirens, praeferendam putavit. Ut earum rerum copia eſſet, quae ſunt neceſſariae non modo ad ſcientiarum iter ingrediendum, ſed & ad moderandam rationem, qua ſocietas hominum inter ipſos, & vitae quaſi communitas continetur, optimarum artium vias tradere ſuis civibus privatim coepit, quorum in commodum novas Ethices, Logices & Metaphyſicae inſtitutiones concinnavit. Non poterat autem non figere maledictis eos, qui immanem illam intolerandamque, ac nimium diu inveteratam Scholaſticorum barbariem alere adlaborabant, nihilque ſcire docebant, cujus rei exemplum ex ſe ipſo capiebat, qui meliorem vitae partem in nugis addiſcendis conſumpſit. Sibi unice debuit quod emerſiſſet e ſcholae probris; cumque ad aures perveniſſet Caeleſtini Gallianii Praeſulis ampliſſimi, qui Regi a ſacello erat, illius doctrinae fama, hujus auctoritate & officiis factum eſt, ut Novembri anni MDCCXXXXI. eidem metaphyſicae docendae in Neapolitana Academia munus crederetur. Hanc facultatem ex omnibus maxime idem amabat, & quod dum Sa-

lerni fuit, nimium diu in illa commentitia Platonis civitate verſatus eſt, ſperans poſſe aliquid hujuſmodi confici, quod ad religionem Chriſtianam pertineret, ſe ipſum poſtea correxit, intellexitque multa eſſe in illo philoſopho, quae ordine & ratione prorſus carebant, quaeque prima ſpecie fucum facere poterant, quare ex Lokio, ex Wolffio, & ex aliis metaphyſicis ſolidiora quaedam, & rei Catholicae adfiniora quaeſivit, quibus docti omnes facile aſſentirent. Totos dies atque noctes cogitabat de contexendo hujuſmodi opere, quod a vitiis veterum plurimum abeſſet; contineret tamen omnia ea, quae ab ipſis commode dicta eſſe videntur, nihil earum rerum praetermitteret, quas poſteriores philoſophi excogitarunt, & ex ſuo quoque nonnihil in commune conferret. Quod ſi ea, quae exponuntür in elementis metaphyſicae Genuenſis de mundi praeſertim origine, deque legibus, quibus omnia ſubjiciuntur, ordinanturque, deque ontologia tantopere eligenda fuerant, quanto ſtudio electa fuerunt, profecto illum induſtriae ſuae haud poenitere debuit. Neque ei audiendi fuerunt delicatiores quidam, qui

aegre tulerunt a ſe renovatas fuiſſe quasdam ſpinoſiores quaeſtiones, quae propter vetuſtatem coeperant obſoleſcere; ſic enim diſcipulis ſuis conſulendum putavit, ut nihil earum rerum ignorarent, quae quondam in honore fuerunt. Adde, quod philoſophorum, quos Barbaros vocamus, propria eſſe metaphyſica judicatur. Ferre & aliud genus hominum debuit moleſtiorum. Conſcius ſibi erat nihil a ſe omiſſum in confutandis Spinoziſtarum, Hobbeſianorum, Scepticorum aliorumque impiorum partim monſtroſis & abſurdis, partim etiam ineptis opinionibus, quod pietati erga Deum fovendae, & religioni, hominumque ſocietati, quae religione continetur, tuendae conduceret, quare obſtupuit, cum audivit eſſe homines, qui omnes fere domos omnium concurſabant, affirmantes ſe in *elementis metaphyſicae generalibus*, quae primum an. MDCCXLIII. emiſit, quaſi ſemina quaedam Scepticiſmi aliorumque errorum ſparſiſſe. Tam exitioſam in ſe conjurationem haberi a civibus ſuis nunquam putaverat, quare confugit ad Caeleſtinum Gallianium patronum ſuum benevolentiſſimum, & ab illo opem petiit, ut motus conatuſque

invidorum in ſuam perniciem parati prohiberentur. Non hic modo, ſed & Julius Tornius aliique docti viri Neapolitanae Eccleſiae addicti, praeſto Genuenſi fuerunt, quorum praeſidio etſi nonnihil repreſſerit furorem exultantem adverſariorum, non potuit tamen omnem errati ſuſcipionem, quae inſederat in animis eorum, qui mediocriter docti nil per ſe judicare poterant, propulſare. Res delata fuit ad Romanum Pontificem Benedictum XIV., qui in conſilium maxime adhibuit Jo. Baptiſtam Currum Januenſem ex illa familia, quae Pauperum Matris Dei vocatur, hominem ſane multis litteris, praeſertim divinis, excultum atque expolitum. Facile huic fuit liberius aliquod dictum notare, idque reprehendere, & quod ita natura erat Genuenſis comparatus, ut ſi quid temere ſecutus eſſe videretur, monitus ab aliquo, cujus cognita ſibi doctrina & probitas eſſet, facile & libenter ſententiam commutaret, reſpondit Curro, ſe non parum cognoſſe, ſed in parum cognito ſtulte & diu perſeverare, turpe judicare, propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum ſingulari uniuscujuſque vitio eſſet attribuen-

dum; quapropter rogare illum, ut Pontifici referret, ſe paratum eſſe ad emendanda omnia ea, quae emendatione ipſe digna putasset. Quod & fecit, cum ſecundo an. MDCCLVI. priorem partem ſuae metaphyſicae Neapoli edidisset. Hanc ipſam eidem Summo Pontifici nuncupavit, & pauca, quae in illam addidit, quo delicatioribus ſatisfaceret, non ita conjunguntur cum ceteris, quae vel antecedunt, vel ſubſequuntur, ut non appareat ſibi ita ſcribendi neceſſitatem quamdam impoſitam fuisse. Vidit tum Genuenſis vel in quaeſtionibus theologicis & metaphyſicis eſſe quaedam, in quibus tractandis tempori cedere ſapientis eſſe merito judicabatur, quanquam nihil tam aegre ferret quam quod non ſentiebat dicere, aut quod non probabat facere. Futura tamen tempora praevidebat, quibus, cum philoſophia jus ſuum & moderatam libertatem recuperaſſet, id, in quo ſe ab invidis invadi ſolere audiebat, palam ac tuto defendere licuiſſet. Sed interea perferre debuit importunitatem eorum, qui non ratione, ſed verbis, quae ne ipſi quidem intelligebant, pugnabant, quique verebantur, ne ſi homines a Genuenſi didiciſſent ita philoſopha-

ri, ut ea, quae ſunt in uſu vitaque communi, non ea, quae finguntur, aut optantur, ſpectarent, eorum imbecillitas atque inanitas derideretur. Porro longe nimis progrederer, ſi omnes recenſere vellem machinas, quas adhibuerunt adverſarii Genuenſis ad illum perdendum. Favebat & iis magnae auctoritatis homo Joſephus Spinellius Cardinalis & Neapolitanorum Archiepiſcopus, qui quaerebat cauſſas, ut Regi perſuaderet, multos eſſe Neapoli, quorum religio a ſplendore illius imperii & majorum inſtitutis abhorrebat, neque eos poſſe cohiberi, niſi Quaeſitorum Fidei auctoritas ac poteſtas revocaretur. Fit clamor maximus, cum id acerbum multis atque intolerandum videretur, parumque adeo valuerunt conſilia & artes Cardinalis, ut propter hanc cauſſam ipſe Archiepiſcopatu & Neapoli cedere coactus fuerit. Quae ante quam acciderent, ſevere judicatum eſt de ſcriptis theologicis, quae Genuenſis edere meditabatur, ac ſi fuiſſet ratum, quod actum eſt per vim, minime ille in ſuſpicioſiſſimo negotio effugiſſet haereſeos, vel temeritatis vituperationem. Reſpondit ad ea omnia, quae ſibi objiciebantur

ab

ab adverſariis, in quo ſe egregie ſubtilem ſcriptorem praeſtitit, & gaudere viſus eſt, quod illos irridendi ſibi dediſſent facultatem (1). Neque minus in eo, quod pertinebat ad res metaphyſicas, deridere potuit eos, a quibus

(1) Non dubito fore pleroſque, qui ſcire optabunt quibus de rebus praeſertim inſimularetur Genuenſis. Agens ipſe de locis theologicis, quos *fontes, ex quibus manant univerſae theologiae principia*, appellabat, tantum tribuit naturali rationi, ut per hanc multa cognoſci poſſe contenderet, quae ad Deum, ejuſque, ut loquuntur, attributa, ad naturales leges, & ad eam theologiae partem, qua mores conformantur, pertinent, atque hujuſmodi notiones ſe illis aequare, quas ipſe Deus nobis patefecit. Cum de myſterio Euchariſtiae verba faceret, dixit: *Corpus Chriſti non eſſe ſub indiviſibili extenſionis*; de baptiſmo autem, nominavit illud *ſymbolum Chriſtianae fidei;* cum autem interpretaretur Iſaiae prophetiam; *Ecce parturiet virgo, & vocabitur nomen ejus Emanuel*, dixit tum ad Chriſtum, tum ad Iſaiae filium illam poſſe referri: explicans Paulli Apoſtoli epiſtolam ad Roma-

Pirrhoniſmi nota ſibi inuſta fuerat, quod, quae dubia erant, ſúmere pro certis abhorrere a ſapientia putabat, inſimulabaturque quod protuliſſet argumenta Epicureorum & Sociuianorum adverſus animi naturam, Spinozae &

---

nos de Gratia Dei ita diſſeruit, ut inclinare in Jeſuitarum propriam ſententiam videretur; contendebat Hebraeos traditionem tanquam regulam habuiſſe, qua divinos libros interpretarentur, eaque propter *quasdam in veteri teſtamento prophetias, quae ſecundum litteram non videntur ad Chriſtum referri poſſe, Apoſtolos apud Hebraeos de Chriſto confidentiſſime uſurpaſſe*; affirmabat Eccleſiam Dei cum primum exorta eſt, non fuisse catholicam, gaudereque infallibilitate, ut dicunt, in rebus definiendis, quae ad fidem & mores pertinent, minime vero in rebus vel hiſtoricis, vel philoſophicis, illud etiam addens: *jus Paſtorum cogens neceſſitatem tantum conſervandae religionis ſpectat, eaque terminatur*; demum, ut alia plura omittam, non probabatur quod affirmaſſet, obſtinatos peccatores antequam diris devoveantur, in Eccleſia manere, quamvis illius ſpiritu minime animentur. Decem his accuſationis capitibus totidem epi-

Collini adverſus libertatem, quaſi non ea mente protuliſſet, ut confutaret, quo ſane magnum catholicae religioni beneficium tribuit. At quoniam ſibi rem eſſe intelligebat vel cum invidis, vel cum indoctis hominibus, quorum malevolentiam & inſulſitatem bene noverat, abſtinuiſſet quidem a perficiendo opere, quod tota jam celebrabatur Italia, niſi coegiſſent illum amici auctoritate & doctrina clariſſimi propoſitum mutare. Etenim affirmabant hoc decere illum, convenire muneri, quod in Academia Neapolitana ſuſtinebat, & utile fore

ſtolis reſpondit Genuenſis, neque difficile illi fuit, quae contra dicebantur SS. Patrum & illuſtriorum theologorum teſtimoniis diluere.

Idem & defendit ſuas metaphyſicas inſtitutiones adverſus Paſchalem Maglium inſulſum & illitteratum virum, qui, editis an. MDCCLVIIII. *Diſsertationibus philoſophicis*, illas oppugnaverat. Sic ſuam defenſionem contexuit Genuenſis, vulgatis epiſtolis ad Provincialem amicum ſalis ac leporis pleniſſimis, ut multa vera illuſtraverit, quae perplacere poſſunt rerum metaphyſicarum ſtudioſis.

hominibus, qui diu nimis ſervile Scholaſticorum jugum perpeſſi fuerant, id tandem ſcire, quod

Aeque pauperibus prodeſt, lucupletibus aeque,
Aeque neglectum pueris ſenibuſque nocebit.

Ita abjecta omnis cunctatio. Obſtitit tamen graviſſimus pectoris morbus, quo per plures annos laboravit, ne citius incepta perficeret. Ita autem perfecit, ut ad tres partes, quibus univerſa metaphyſica continetur, quartam adderet *de principiis legis naturalis & officiorum humanorum*. Sic enim cohaerere metaphyſicarum rerum cognitionem putabat cum ſcientia naturalium legum, quibus ſubditi naſcimur, & quibus omnino parendum eſt, quo & eſſe, & beate eſſe poſſimns, ut diſſolvi nullo modo debeant. Monitos autem lectores voluit, ſe adoleſcentes inſtituendos ſuſcepiſſe, non doctos homines; & quod nec diſſimulare poterat, nec non dolere, quod illa ſua prudentiae doctrinaeque profeſſio in malevolorum voculas incurriſſet, multa de theologorum mediocriter litteratorum ferocitate in librorum praefationibus conqueſtus eſt. Haec

cauſſa fuit, ne tum in vulgus ederet *Univerſae Chriſtianae Theologiae elementa dogmatica, hiſtorica, critica*, in quibus concinnandis diu multumque deſudaverat atque elaboraverat. Elatus enim ſtudio novas terendi vias in inſtituendis adoleſcentibus verebatur, ne augeret in ſe odium eorum, qui in clauſtris unice poſuiſſe ſedem autumant theologiam, & nil probant aliud, niſi quod redolet obſoleta ſcholarum vocabula & ſcita. Omnino optaſſet Genuenſis vel metaphyſica, vel theologica tractans, ne artes tantae propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate, & humani generis felicitate abducerentur ad mercedem atque quaeſtum, atque ad alendas perobſcuras inutileſque quaeſtiones, quae non ſtudia virtutis & exiſtimationis bonae fructum non dicam pariunt, ſed ne attingunt quidem. Cum vero memoria repeteret quae pertulit ac ſenſit ob curas, quas, glorians ſe eſſe humani generis philoſophum, contulit in reipublicae commodum, & ob amorem in litteras incredibilem & ſingularem, non ſolum animum ab omni contentione & dimicatione, ſed etiam a ſtudiis facile revocaſſet. Sed quoniam haec jam

neque integra illi eſſe poterant, & ſummi labores magna compenſati gloria mitigabantur, pergebat ad ea ſolatia, quae non modo ſedatis moleſtiis jucunda, ſed etiam haerentibus ſalutaria eſſe poterant. Concinnavit itaque libros V. *Artis Logico-Criticae*, quos exeunte an. MDCCXXXXV. emiſit, & Matthaeo de Sarno Regii Fiſci Praeſidi, viro omni laude praeſtanti nuncupavit. *Ars est philoſophandi*, inquit ille, *plana ea & in medio omnibus poſita: admoneo potius in ea tyrones, quam doceo: virorum doctiſsimorum, qui periculis ſuis viam nobis patefecerunt, praecepta memoro; ſed ea explico paullo clarius & distinctius, quam ceteri facere ſolent: nova quoque via & ratione trado*. Vel ii ipſi, qui nihil melius fieri poſſe judicabant *Arte cogitandi*, quae prodierat ab Portus Regii incolis, maxime plauſere hiſce Genuenſis *Elementis*, quibus nihil deeſſe videtur, quod ad rectam rationem moderandam non ſolum in ferendis judiciis, ſed etiam in gubernanda vita pertineret. Differit enim 1. de natura mentis humanae, de errorum cauſſis, deque iis cavendis, 2. de ideis, earumque, ut loqnun-

tur, objectis & ſignis, 3. de vero & falſo, deque criteriis veri, & de ratione inquirendae veritatis, 4. de recto ſenſuum uſu, de uſu auctoritatis humanae & divinae, deque arte critica, 5. denique de uſu ratiocinii, deque ratiocinandi generibus & methodo. Quanquam ex multorum ſcriptis haec omnia ſciri poſſint, libentiſſime tamen ex Genuenſi cognoſces pro ejus in differendo perſpicuitate, ordine, acumine, & quadam etiam Latini ſermonis elegantia. In quo maxime conſuevit ſe jactare eorum oratio, qui ſtudioſe antiqua perſequuntur, id totum evertitur eo delectu, quem dixi, rerum. Prorſus nil magis optabat Genuenſis, quam inflammare omnes Philoſophiae amore, & optimarum artium vias tradere ſuis civibus, quare & illud ſibi curandum putavit, ut hi, poſtquam a ſe didicerant, quem ex ratione uſum habere poſſent, rectam quoque ſequerentur viam in contemplanda corporum natura. Itaque conjuncta opera cum Orlandio, quo nullum amiciorem habebat, edidit Neapoli an. MDCCXLV. *elementa Phyſico-Mathematica Muſſchenbroekii*, & quamvis ſocio concederet ſcientia rerum ma-

thematicarum, phyſicam tamen ſic tenebat, ut par illi eſſe poſſet. Id conjici poteſt ex Diſſertatione de principiis corporum, quam illi operi praepoſuit, quanquam hanc non ſic laudaverim, quaſi in ea perfectum phyſicum poſſis agnoſcere. Hoc ipſo tempore cum Caſſinenſis Monachus Sanchezius de Luna vacuam fecisſet ethices cathedram, ſuffragatore Gallianio, illam Genuenſis occupavit. Priſtinam conſuetudinem, & veterem morem docendae nobiliſſimae diſciplinae totum immutavit: quaeſivit in ipſa hominis natura juſti atque injuſti principia; naturales atque inſitas in animis noſtris notiones expoſuit, omninoque univerſam hanc ſcientiam quatuor in rebus verti docuit, quarum una eſt in perſpicienda hominis natura, unde originem ducunt ejus cupiditates, vitia atque virtutes, altera in tradenda regula, ad quam omnia judicia rerum omneſque actiones dirigantur, & hanc ab naturae omniſque juris auctore eſſe ſumendam, tertia in noſcendis iis, ad quae nos natura genuerit atque conformaverit, quarta denique quomodo erga eos, quibuſcum congregamur, nos gerere debeamus. Haec omnia exornabat

confirmabatque exemplis ab univerſa hiſtoria petitis, afferebat etiam eloquentiam, quare minime eſt mirandum ſi illius ſchola eo concurſu non modo adoleſcentium, ſed etiam hominum doctrina excellentium, alienigenarumque (quidni inter hos commemorabo Brunopolis Ducem, cui iter per Italiam facienti comites adeſſe viſae ſunt omnes praeclarae artes atque disciplinae?) frequentaretur, ut nulla alia eſſet illuſtrior atque celebratior. Veniebat quoque ſaepe ad eam vir ille ſummus Caeleſtinus Gallianius, ac ſe gaudere dicebat, quod maxime facit auctoritatem, minime eluſam ab Genuenſi opinionem, quam de ipſo conceperat. Si quod vero verbum ab ipſo emittebatur adverſus clamoſos magiſtros, qui docent res ordine atque ratione carentes, neque dant operam, ut homines meliores evadant, id, quaſi notam inureret familiae theologorum univerſae ad conflandam illi multorum invidiam valebat, quorum artibus factum eſt, ut omnis aditus ad theologiae ſcholam regendam, quod magnopere concupierat, ipſi obſtrueretur. Etenim erat periculum, ne cum novare methodum vellet ex quadam licentia co-

gitandi, nimium ſibi, ut ſaepe philoſophis uſuvenit, etiam in religionis opinionibus indulgeret. Porro ita comparatus erat natura Genuenſis, ut fingere, diſſimulare, & obtegere animi ſui ſenſa neſciret, & quod periculoſum in ſe munus ſuſceperat revocandi cives, omneſque Italos ſuos a Scholaſticorum tyrannide, & a ſuperiorum temporum barbarie, multa perferre debuit ab iis, qui tenebras quaerunt, quorumque eminet audacia atque temeritas. Nunquam ſane ſuam libertatem projeciſſet, ut his blandiretur praemiorum ſpe; ſecutus tamen eſt conſilium Bartholomaei Intierii, qui illi auctor fuit, ut pacatiora ſtudia excoleret. Quoniam tanti viri mentio a nobis facta eſt, non ab re erit hoc loco pauca de illius virtutibus commemorare, in quo ſi videbor longius, quam mihi conceſſum eſt, progredi, id ignoſcatur volo amicitiae, quam cum illo habuit ſummae Genuenſis, & hominis praeſtantiae. Natus ille humili loco in Florentino agro, florenti adhuc aetate Neapolim conceſſit. Habebat ingenium ad excogitandum acutum, ad explicandum ornandumque uber, ad memoriam firmum & diuturnum, quod cum

contuliſſet praeſertim ad philoſophiam, & mathematicas diſciplinas, mirificos in iis progreſſus effecit. Has privatim docuit, ut egeſtatem ſuſtentaret, & in omnium domos facile admittebatur, quod eſſet ſingulari modeſtia, integritate ac fide, quas virtutes corporis pulchritudo, quae plurimum commendat, decorabat. Procuratoris diligentiſſimi officium praeſtitit Mediceis Principibus, Corſiniis & Rinucciniis, qui bona poſſidebant in Neapolitano regno, ſic ut alienam rem, veluti ſuam agere videretur. Sed dum bona fidei ſuae commiſſa procurabat, etiam atque etiam videbat, ut reipublicae ſerviret, & inventor multarum machinarum fuit vel ad diu conſervandum frumentum, vel ad facile tranſvehenda ligna a montibus ad maris litus, vel ad agriculturam provehendam. Conſuluit & regio aerario, cum expeditiſſimam rationem docuiſſet typis imprimendi ſyngraphas illas, quae in ſortitionum ludo diſtribui luſoribus ſolent. Omnino ad mechanicam natus videbatur, quam diſciplinam, ut & alias matheſis partes, ſcriptis ſuis illuſtravit. Hic cum propter multas ejus virtutes ac ſummam praeſertim liberalitatem,

ſummamque prudentiam magna cum dignitate viveret Neapoli, multi illius conſiliis utebantur, aditum petentibus facile dabat, & pecunia & gratia prepulit haud paucos adoleſcentes ad artes atque diſciplinas non modo colendas, ſed etiam provehendas. Haec ſibi praeſidia comparaſſe dicebat ad decus atque ornamentum ſenectutis, cum tranquillitatem expetens ab omni negotio tum publico, tum privato ſe removiſſet. Mortem obiit a. MDCCLVII. cum eſſet ferme annorum octoginta, atque extitit nemo, qui non oculis lacrymantibus funus hominis, qui ſemper in laude verſatus erat, intueretur. Sed, unde digreſſi ſumus, revertamur. Poenituit fortaſſe Genuenſem ſe non ſecutum ſemper fuiſſe exemplum Intierii, qui in tranquillitate animi beatam vitam ponebat. Ut vero illius conſiliis aures patuere, coepit animum convertere ad ea, quae non facile in controverſia & contentione verſari poterant. Vulgavit itaque an. MDCCLIII. quaedam ad agriculturam pertinentia, et quae praefatus eſt ad Intierium ſcribens de utilitate litterarum, cum eae referuntur ad vitae commoda, ſatis declarant quam

infeſtus atque inimicus eſſet iis, qui inanibus atque ambitioſis ſtudiis delectantur. Tum Intierius cogitationem ſuſcepit inſtituendi cathedram Commercii et Mechanices, ea conditione, ut illam omnium primus regeret Genuenſis, cui CCC. ut loquuntur, Ducatorum ſtipendium aſſignavit. Inivit illam, lubente Rege, magnoque hominum concurſu, Nonis Novembris an. MDCCLIV. et quae ſcientia ab eo non admodum expectabatur, ſumma apparuit in illius praelectionibus. Has antequam ederet, vulgavit e Britannica in Italicam linguam converſam, atque commentariis raptim fortaſſe nimis a ſe exaratis auctam, hiſtoriam commercii Britannorum, quam Joannes Carius mercator confecerat. Tali modo multa, quae apud nos jacebant in tenebris, litterarum lumine illuſtrari coeperunt, etſi Genuenſi pugnandum fuit adverſus inveteratam quamdam Neapolitanorum his in rebus barbariem, qui mala, quae vitare facile potuiſſent, ultro accerſebant atque attrahebant. Quae autem major ad minuendas vitae moleſtias ac praejudicatas opiniones convellendas acceſſio fieri potuit, quam ex praelectionibus Genuenſis? Si nihil aliud

eſt gloria, quam illuſtris et pervagata multorum et magnorum vel in ſuos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum, dubitare ſane non poſſumus, quin illa maxime excelluerit Genuenſis, qui quod utile ſit, quodque expediat docuit, ancipiteſque diſputationes, in quibus vel de libertate commercii, vel de luxu, vel de aliis hujuſmodi rebus in utramque partem diſſeri copioſe licebat, ſcite enodavit. Probavit ille judicandum de imperiorum potentia et gloria ex abundantia incolarum et copiarum ad illos ſuſtentandos; veras conſtanteſque divitias a ſolo atque labore totas pendere, ſic ut ille populus ditior exiſtimari debeat, qui optimos agros ſtudioſe colit; luxuriem alere poſſe artes, et animare populos, eaque propter non tanquam peſtem avertendam; aurum et argentum ex America ad nos transvectum non divitias, ſed paupertatem peperisse; pretium rerum, quae vendi et emi ſolent, pendere ex geometrica, ut ajunt, proportione inter ipſas res, et vitae neceſſitates; atque, ut alia bene multa prorſus Italis noſtris inaudita et nova praeteream, caritatem ſaepe fieri copia

annonae, ſi lex vetat exportari, quod fert tellus, quodque abundaret. Haec cunctas nationes noſcere intererat, ſe praeſertim Neapolitanam, quae inutiles ſcientias honorabat, alienigenarum artes fovebat, fertiles incultaſque terras poſſidebat, & habitatores ferebat languori deſidiaeque deditos. Nae Genuenſis quidem magno deſiderio tenebatur illuſtrandi omnem illam ſcientiam, quae oeconomia dicitur, & hac de cauſſa ſuis in ſcriptis multa ſparſit, quae ad leges pertinent. Harum enim ſapientes latores non modo punire peccata & maleficia voluerunt, ſed etiam augere humanum genus, illius alere induſtriam, artes, commercium atque luxum, moderari tributa ac vectigalia, utilitate reipublicae pecuniae fructum metiri, ac trahere omnes ad cognitionis & ſcientiae, felicitatiſque cupiditatem. Harum omnium rerum tractatio indiget ſane philoſophia, non illa vulgari, ſed recondita, cui praeſertim propoſita eſt hominis, ſocietatiſque humanae cognitio, qua quod Genuenſis pectus ſuum compleverat, illius ſtudium, omnium ſane utiliſſimum, ad univerſas gentes propagare vehementer optabat. Iſtaec

publicae utilitatis cupiditas abripuit fortaſſe aliquando ipſum, ut quaedam proponeret, quae hominibus in adminiſtratione reipublicae exercitatiſſimis αδυνατα videbantur, ſed perfectiſſimam diſciplinam relinquere voluit, & tot rationes attulit, ut velle ceteris, ſibi certe perſuaſiſſe videatur. Agnitum autem eſt praeſertim an. MDCCLXIV., qui annus fuit Neapolitanis calamitoſiſſimus propter ſummam rei frumentariae inopiam, quantum Reſpublica egeret oeconomiae peritiſſimis viris, qui vere philoſophi dici poſſent, & hoc quidem tempore Genuenſis in vulgus edidit eximium librum Coſmi Trincii Piſtorienſis de agricultura, atque cum ipſo diſſertationem, qua cauſſas aperuit inſcitiae hac in re ſuorum Neapolitanorum. Saepe ad id redibat tum in ſuis ſcriptis, tum in publicis acroaſibus, fecitque ut notum ſuis eſſet egregium opus Tullii Britanni, & quae in illud addidit du Hamel, ſemperque ita ſtatuit plurimum obeſſe huic arti, qua nihil melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius, ſuperbiam nobilium, inſcitiam & pervicaciam agricolarum, legum latorum incuriam, quae

eo magis vituperanda eſt, quod eſt rei maxime neceſſariae, atque demum illud monſtroſum, ut loquuntur, ſyſtema juris feudalis, a quo infinita mala in Neapolitanum regnum derivata ſunt. Profecto ſi agricultura ita in honore eſſet, ut quondam fuit apud Graecos atque Romanos, & nunc eſt quoque apud Penſilvanos & Sinenſes, noſtrorum hominum mores hac dulcedine corruptelaque minime depravati eſſent, noſque puderet eos, a quibus ſuſtentamur, & ad omnia vitae commoda ſubſidia habemus, devoviſſe fami, nuditati, ſervituti, & omnium rerum inopiae. Si fieri omnino potuiſſet, avertere in poſterum a patria ſua caritatis periculum, quod fere ſemper hominum culpa accidit, optabat Genuenſis, quare cum edendum an. MDCCLXV. curaſſet opus quoddam Gallice ſcriptum de rei frumentariae oeconomia, ornavit illud diſſertatione, qua cauſſas quaeſivit caritatum, & remedia atque allevamenta huic malo. Nos profecto diu experimur liberam earum rerum, quibus abundamus exportationem, & earum, quibus egemus, invectionem, non modo conducere ad agriculturam provehendam, ſed e-

tiam ad averruncandum difficultatis annonae periculum, & an. MDCCLXVI. cum maxima apud nos fuiſſet ſterilitas agrorum, ſedente Petro Leopoldo ad Etruriae gubernacula, uberiora cibaria facta ſunt caritate. Bene quidem Plato, beatas illas fore Reſpublicas, quas regerent philoſophi. Quanquam, ajebat Genuenſis, quid opus eſt in hoc philoſophari, cum rem non magnopere egere philoſophia videamus? Sed plena errorum ſunt omnia, nec mediocre munus ſuſtinet ille, qui ſibi ſumit avertere homines a falſis inveteratiſque opinionibus, ex quibus multae porro in humanam vitam aerumnae dimanant. Vix autem illi ferendi videntur, qui cum abundent ingenio & doctrina, non ſolum nihil conferunt in commune bonum, ſed vel rebus clariſſimis obducere tenebras adlaborant. Cum his praeſertim rem habere voluit Genuenſis, & *Academicae Epiſtolae*, quas an. MDCCLXIV. emiſit adverſus Jo. Jacobum Rouſſoium, ejus ſtudium in litteras, humanamque ſocietatem maxime declarant. Elatus ille vir cupiditate paradoxa defendendi, oratione quadam vehementer invectus eſt in ſcientias atque artes,

quaſi per eas vitia omnia alerentur, omniſque tolleretur aequalitas, ſine qua ex illius ſententia beatus nemo eſſe poteſt. Illum ſi audiviſſes ſuperſtitio origo fuit aſtronomiae, ambitio, odium, adulatio, mendacium eloquentiae, avaritia geometriae, injuſtitia juris prudentiae, inanis curioſitas phyſicae, ſuperbia ethices, & ſic de reliquis, quaſi neceſſitas vitae nihil effeciſſet ad eas res parandas, quibus & ſuſtentatur & ornatur. Dicta ſua eruditione & artificio quodam malitiae condivit, & quod ei natura ſummam copiam facultatemque dicendi largita erat, hanc, ut & ſaepe alias, non ad ſalutem hominum conſervationemque, ſed ad perniciem convertit. Itaque expediebat reipublicae ne longius ſerperet hujuſmodi opinio, quam ſic oppugnavit Genuenſis, ut perſcienter diſciplinarum & artium cauſſam peroraſſe judicatus fuerit. Neque occultavit mala, quae ex illarum perverſo uſu oriri poſſunt, ſed haec hominum natura maleficorum ſunt, quorum unice temeritas & audacia inſectanda eſt. Dum inſcientia multa verſabatur in terris, multa quoque erant efferata & immania, manſuefacti vero & excul-

ti a philoſophia didicimus cohibere cupiditates, ferocitatem non modo comprimere, ſed etiam horrere, legibus ſubjicere homines, iisque perſuadere ad conjunctionem congregationemque, & ad naturalem communitatem eſſe natos. Haud latebat Genuenſem diſtinguere Rouſſoium inſcitiam brutorum ferme propriam ab inſcitia quadam, ut ipſe ajebat, humana, minimeque rationis experte, ſed haec & alia hujuſmodi plura non philoſophi judicia, ſed delirantis ſomnia eſſe probavit. Narravit mihi aliquando Diderotius, dum an. MDCCLXXIII. eram Lutetiae Pariſiorum, ſe cauſſam dediſſe Rouſſoii ſcripto. Nam cum inter ſe colloquerentur de propoſita ab Academia Divionenſi quaeſtione, num utilitatibus litterarum carere homines poſſent, amico inter ambulandum per jocum ferme expoſuit rationes eas, quibus confici poſſe videbatur majora ex iis detrimenta, quam commoda in humanum genus dimanaſſe. Difficile non fuit Rouſſoio, qui ſaepe expertus fuerat nihil eſſe tam incredibile, quod non eloquentia fieret probabile, magna argumentorum copia amici dicta confirmare, atque oſtentare illud ſuum mirabile

ingenium in re omnino nova atque inaudita eloquentiae armis tuenda. Sed tempus jam eſt, ut ad Genuenſem revertamur, cui ſi contigiſſet, ut Gallicum ſcriptorem ſtyli elegantia aequare poſſet, sane immortalitati illas suas Academicas epiſtolas commendaſſet. Verum dum accuratius quoddam & exquiſitius voluit afferre dicendi genus, deflexit ab illa forma, in qua naturalis ineſſet, non fucatus nitor, nec ſemper verba adhibuit ad noſtram conſuetudinem apta. Quemadmodum in vita, sic in oratione conſtanti omnia debent eſſe apta, & inter ſe convenientia, & ſervare modum & numerum quemdam, qui aures expleat. Cum primum Genuenſis ad Italice ſcribendum animum appulit, ſerviliter nimis, addam etiam inepte & putide, imitatus eſt veteres, quos probamus, ſcriptores; poſtea vero suum quoddam effinxit dictionis genus, in quo ſaepe ingrata negligentia apparet. Nam quaedam eſt etiam negligentia diligens, quam praeſertim in veterum ſcriptis laudare ſolemus. Sunt, qui eumdem excuſant pervagata illa Ciceronis ſententia: *& tamen a Philoſopho ſi offerat eloquentiam, non aſperner, ſi non ha-*

beat non admodum flagitem; ſed nunquam Genuenſis eloquentiam ab elegantia doctrinae ſeparandam putavit, neque dubito quin diſputans cum Rouſſoio illius ſibi dari eloquentiam voluiſſet, praeſertim cum lectores non modo inſtruere, ſed etiam delectare ſibi propoſuiſſet. Adde, quod illi erat perſuaſum ab Italis maxime colendam eſſe Italicam linguam, ut inurbanos illos eſſe judicaret, qui in inſtruendis adoleſcentibus ad omne ſcientiarum genus alienis linguis, ac praeſertim Latina, uterentur. Quapropter ſe ipſum corrigens, qui antea logicam & metaphyſicam Latine explicaverat, non has modo, ſed & alias diſciplinas, & vel illas, quibus inſtruimur ad divinae religionis rationem, ad morum ſcientiam, & ad rempublicam bene adminiſtraudam, Italice exponendas ſuſcepit. Illam priorem, quae quod ratione nos bene uti docet, quaſi quaedam lux lumenque vitae appellari poteſt, ſic concinnavit, ut nihil melius fieri potuerit. Quae vero in extremo libro propoſuit, omnes fere artes attingens, quae ab exquiſita quadam ratione & doctrina proficiſcuntur, multa ſane nova, recon-

dita prorſuſque vera continent. Non pauca habuit quae novaret in metaphyſica. Prorſus ab illa ablegavit diſputationes de ontologia, quod hae infinitae ſint, concertationumque plenae, quodque in rebus incertis non tollant dubitationem, ſed augeant potius atque confirment (1). Tantum exercitatio, experientia & meditatio in Genuenſi valuit, ut illiterata & inſulſa ea metaphyſicorum dogmata putaret, quae non referrentur ad hominum utilitatem. Saepe enim in ore habebat praeclaram illam ſententiam: *nihil bonum eſt, quod non eum, qui poſſidet, meliorem*

(1) *Cum primum Genuenſis edidit ſuas metaphyſicae inſtitutiones, quaedam ab amico illi objecta fuerunt de ontologia atque cosmologia. Dicta a ſe minime defendenda putavit, eaque reſpondit, ex quibus quod judicari poſſit de ejus in hujuſmodi rebus ſententiis, hoc loco referenda putamus.* Gli umani cervelli, *inquit ille*, ſono come le forme di quei, che lavorano di sfogli, e le dottrine come le paſte, le quali vi ſi modellano diverſamente, ſebbene tutte acconciamente alla loro: gli uomini, ſalvo alcune poche coſe, non conoſcono altra verità, ſe non quella che è re-

facit. Ajebat etiam: *Decrevi philoſophari, ſed ut Neoptolemus apud Ennium, paucis; nam omnino haud placet*, quod naturale jus, theologia, atque ethica a metaphyſica tot habeant adjumenta, ut ſine ea ſtare non poſſint. Ex iis, quae praefatus eſt, cum Italicas metaphyſicae inſtitutiones emitteret, facile conjicies quid ſentiret de univerſa hac facultate, quamvis velis quaſi quibusdam ſententiam ſuam obtegendam putaverit, quae non acriter intelligenti ridenda fortaſſe videbitur. Eam partem philoſophiae, quam de moribus ap-

---

lativa al loro intendimento. Quando il cervello è pieno, avviene come dell'oſtriche e delle ragoſte: ciaſcuno ſta bene al ſuo modo, e ſono sì savj i Lapponi a modo loro, e i Samojedi e i Tartari come i Cinesi a modo loro, e noi al noſtro, e ciaſcuno al ſuo. Non si tratta di riempiere il cervello di coſe, ma d'idee, e l'importante ſi è che vadano a verſo. Credete che foſſe più beato Galileo girando, e dondolando colla terra, che il ſuo Simplicio ſtando fermo? o più Carteſio nel pieno, che Newton nel vuoto?

pellare ſolemus, ſic tractandam ſuſcepit, ut perfectam illius diſciplinam haberemus. Emiſit itaque an. MDCCLVIII. librum, qui inſcribitur: *meditazioni filoſofiche ſulla religione e ſulla morale,* quoque probavit religionem, naturam, & moralem inter ſe jungi adeo copularique poſſe, ut quae ab iis praecipiuntur, hac conjunctione firmiora evadant. Vel ea, quae eximia & praeclara nonnullis videntur, ob dictionem fuco illitam (voluit enim ornatius dicere, quam ſimplex ratio veritatis ferat) ita fatigant legentis animum, ut facile diſtrahatur, & auctoris ſententiae diffidat. Vidit ipſe poſtea hoc malum, & fortaſſe emendaſſet, ſi ſecundum operis volumen, quod inchoaverat, exarata jam quinta meditatione, a quo illud incipere debebat, abſolvere potuiſſet. Neque minus conjungendam ille putavit moralem ſcientiam cum latione legum, omnique arte bene adminiſtrandae Reipublicae, quarum rerum ſe peritiſſimum oſtendit eo praeſertim in opere, quod *Diceosina* inſcribitur. Non rei ſolum ſumma utilitas eſt, ſed praecipiendi quoque ſumma difficultas, quod in prohibendis malis legibus, quarum omne bo-

num cum convenientia conſervationeque naturae, opportunitateque temporum & locorum finitur, neceſſe fuit multorum imperantium detegere errores. Qui vi oppreſſos imperio coercent, nec vident quid in jubendo ſpectari oporteat, facile illos humani generis oſores, omnique honore poteſtateque indignos arbitrabimur: veriſſimam enim illam putabat Genuenſis ſententiam, quam in omnium imperantium animis, quaſi inſculptam eſſe optabat: *a manſuetudine, paternoque amore Principum bonae prodeant leges; a bonis legibus tum a Principe tum a ſubditis illi populis obſervatis boni mores, ab his concordia civium inter eos & Principem ipſum, & ab hac hoſtium triumphum, gloria Principum, populorumque felicitas*. Cum vero praeſertim illuſtrationem ſibi propoſuiſſet artis juſti & honeſti, ut operis inſcriptio praefert, hominis naturam ſic examinat, ut nullum ſit tam ſanctum & tam ſolemne officium, quod perſolvere debet Deo, ſibi ipſi, iiſque, quibuſcum vivit, cui lucem Auctor non afferat, omnia ex naturalis legis principiis hauriens, & celebriorum nationum, ac praeſertim Roma-

norum exemplis inſtitutiſque illuſtrans. Si hoc opus aureum, omniumque, quae ab eodem prodiere, maximum judicabis, me quoque tuae adſcribito ſententiae. Cum illius priorem partem emiſiſſet, altera avidiſſime expectabatur, ſed illum a vulganda perficiendaque impedivit mors (1). Moram etiam & impedimenta intulerunt juſſa hominis, cujus in publicis rebus adminiſtrandis summa erat poteſtas. Expulſis enim a Neapolitano Regno Jeſuitis, qui dominati fuerant in ſcholis, his ſic conſulendum Bernardus Tanuccius putavit, ut novi magiſtri novaeque inſtitutiones praeterita mala ſarcirent. Mandavit itaque Genuenſi, quem omnium aptiſſimum ad hanc rem jure meritoque judicabat, ut ſcripto exponeret quid facto opus eſſet. Facile illi fuit de ratione in-

(1) Illam priorem partem vulgavit an. 1766. neque multo poſt ipſa recuſa fuit. Anno vero 1777. Dominicus Torres bibliopola Neapolitanus tum primam, tum ſecundam Diceoſinae partem tribus vulgavit voluminibus, fortunatumque ſe putavit, quod hanc inter Auctoris jam defuncti ſcripta invenire potuerit.

ſtituendae Neapolitanae Academiae ea ſentire & dicere, quae maxime tum Regis gloriae, tum etiam reipublicae rationibus conducerent. In omni ſcientia & arte reſpexit ſuperioris temporis caliginem & tenebras, & quod in publicis gymnaſiis ſtudia maxime coluntur juris prudentiae, medicinae & rerum divinarum, iis ſic conſuluit, ut eſſent aliarum diſciplinarum & artium comitatu ornata. Neque neglexit minores artes, ex. gr. graphicen, architecturam, agriculturam, ad quas praemiis & honoribus nobiliſſimum quemque excitari optasset, illa Ciceronis uſurpans. *An cenſemus ſi Fabio nobilissimo homini laudi datum eſſet, quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Policletos, & Parrhaſios fuiſſe? Honos alit artes, omneſque incenduntur ad ſtudia gloria; jacentque ea ſemper, quae apud quoſque improbantur.* Non eſt hujus loci ſingula perſequi, quae Genuenſis proposuit, quibus non modo erudiri, ſed etiam commoveri, concitari, excitarique poſſe putavit adoleſcentes. Ut vero magis magiſque incenderet animum Regis ad haec curanda, ajebat nihil tam poſſe in hominibus, quam opinio-

nes rerum, has autem praeſertim a ſtudiis ortum trahere, eaque propter maxime intereſſe imperantium ſcholas tanquam navigium aliquod ex reipublicae tempeſtate moderari. Non is erat Genuenſis, qui laudaret omnia; ſed contra qui libenter obtrectaret mala, & quod cauſſam agens optimorum ſtudiorum, & publicorum commodorum ſaepe in religioſos homines invectus eſt, qui contentionis, quam veritatis cupidiores, artes colebant nec ad inſtruendos, nec ad oblectandos animos idoneas, horum odium adeo in ſe concitavit, ut calumniae licentiam ferre, dum vixit, debuerit. Prorſus ignorabat artem animos opinionibus, maloque more' delinitos molliendi, libere, quod ſentiebat, proferebat, & facilius flammam in ore continuiſſet, quam dicta, per quae aliqua utilitas percipi poſſe putabat. Atque haec quidem communis eſt omnium philoſophorum conſuetudo, ut qui inveteratam quamdam barbariem ex ſuorum civium moribus diſciplinaque delendam ſuſcipiunt, nunquam ſibimet praecidant libertatem dicendi, etiamſi intelligant magna ſe in pericula ac diſcrimina vocari. *Vides quibus fluctibus jactemur* (ſic ſcribebat

ad amicum) *etſi ex iis, quae ſcripſimus & quae colloqui ſolemus, meum erga patriam, omne genus humanum amorem perſpicere potuiſti*. Porro ſi quis memoria repetat mala, quibus per multa ſaecula oppreſſum fuit Neapolitanum regnum, nulla non laude celebrabit Genuenſem, qui ſub optimo Rege remedia propoſuit, quibus illa ſi non omnino, aliqua ſaltem ex parte ſanari poſſe videbantur. Leges, mores, commercium, artes, agrorum cultura, ſtudia, omne id denique, in quo publica ſalus continetur, non effugerunt illius perſpicacem prudentiam, neque quidquam protulit unquam, quod non naturae, temporibus rectaeque philoſophandi rationi congruere videretur. Conſultus aliquando, quod ſaepe accidit, etſi non ſemper valuerunt illius conſilia, num expediret conditiones quaſdam commercii a Gallis oblatas accipere, reſpondit, eam eſſe Neapolitani regni fortunam, ut amicitiam cum omnibus nationibus habere, eiſque ad ſe liberum aditum dare deberet, neque ei utile fore pactiones hujuſmodi cum potentioribus conflare, niſi naves plures inſtrueret, quas in omnem oram maritimam di-

mitteret. Nec minus officio prudentis viri, bonique civis functus eſt, cum de re nummaria bene moderanda ſententiam ſuam expoſuiſſet, quibus in diſputationibus dicere ſolebat, eſſe philoſophi de rebus, quae ad rempublicam bene adminiſtrandam pertinebant, habere non errantes & vagas, ſed ſtabiles certaſque ſententias, non natura ſolum & experientia, verum etiam diſciplina corroboratas, & pro his, ſi opus eſſe videretur, velis equiſque decertandum. Sed incredibilis quaedam & prope ſingularis & divina vis ingenii Genuenſis cum ſumma induſtria conjuncta, & illa ſtipata choro virtutum, quae egregie cordatum civem efficiunt, non multum profuit Neapolitano regno, cum neſcio quomodo uſu obduruiſſet & percalluiſſet patientia erroris & vetuſtatis. Adde, quod plerique potentiorum ſplendore falſi honoris hallucinati, aciem boni ingenii hebetant, ne videant quod publicis rationibus utiliſſimum futurum eſſet; ſunt denique alii, qui omnia recta negligunt, dum potentiam aut conſequantur, aut retineant. Quare minime eſt mirandum, ſi cum valeret Genuenſis in omni genere negotiorum

& ſtudiorum, ejuſque propterea nomen in univerſa celebraretur Europa, ut nemo accederet Neapolim, qui ipſum noscere, & cum eo colloqui non concupiſceret, perexiguis fortunae muneribus fuerit ornatus. *Utilitatibus meis poſſum carere*, dixit aliquando, *dum publicis commodis conſulam*. Cum haud haberet patrimonii ſubſidia, magiſterio vitam ſuam ſuſtentabat, & extremo tempore cum impediretur valetudinis incommodis, ne illud exerceret, Rex eidem CC. tantummodo annuos, ut dicunt, ducatos, & paullo amplius pendi juſſit. Non defuiſſet illi amicorum liberalitas, ſed parce iis utebatur, quod parvo erat contentus. Quam gratus vero erga eos eſſet, ex ejus ſcriptis judicare poteris, in quibus large effuſeque praedicat virtutem eorum, a quibus beneficia accepit. Neque haec pondere, ſed animo, quo ipſi dederant, aeſtimabat, cum ſit boni viri non utilitate & fructu, ſed ipſo honeſto moveri. In hoc autem naturam ducem ſequebatur, cum, quae acceperat, mutatione officiorum reddere ſatagebat, & illa agitatio mentis, quae nunquam acquievit in inveſtiganda cognoſcendaque veritate, & illi per-

pe-

petui motus animi in conſiliis dandis de rebus honeſtis & pertinentibus ad bene beateque vivendum, eo maxime ſpectabant, ut ſocietas hominum conjunctioque ſervaretur, & animi excellentia magnitudoque cum in augendis opibus utilitatibuſque & ſibi & ſuis comparandis, tum multo magis in his deſpiciendis eluceret. Te ita exiſtimare volo, quidquid obſtrepant calumniatores odioſi, fuiſſe Genuenſem ſingulari bonitate naturae, & inſediſſe in animo illius virtutem non ferream, non ſuperbam, non deſidioſam, non ullis involutam integumentis, quaeque in tempeſtate quieta eſſet, luceret in tenebris, haereret in patria, ſplenderetque per ſe ſemper, neque alienis ſordibus unquam obſoleſceret. Quanta autem humanitate atque patientia, quanta comitate ac facilitate gravitati admixta accedentes ad ſe ſe, omneſque ſcientiae cupidos accipiebat, atque erudiebat! Quanquam ſentiret inſtare ſibi, aut certe appropinquare mortem, non abſtinuit ſe ab hujuſmodi officio, a quo aliqua ex parte allevari aegritudinem ſuam dicebat. Coeperat enim nervorum morbo cum acri doloris morſu laborare, qui etſi inter-

dum intermittebat, aſperius tamen ſemper recrudeſcebat. Vere demum anni MDCCLXIX. magna humorum vis in pectore ſubſedit, neque multos poſt menſes VIII. Kal. Octobris hydrope conſumptus eſt, cum non adhuc compleſſet ſeptimum ſupra quinquageſimum aetatis annum. Omnes, qui patriam & litteras amabant, ejus morti illacrimati ſunt, collegeruntque laudem omnium undique, ut obtrectatorum voces, quas nullis legibus frenare poterant, quia religionis involucris obtegebantur, bonorum ſaltem teſtimoniis a tumulo Genuenſis averterent. Qui ſi me quoque accuſare volent, quod huic praeconia tribuerim, neque ſeveritatem adhibuerim in illius dictis perpendendis, quae ad res divinas & ſacras pertinent, ſciant me haec judicanda reliquiſſe harum ipſarum rerum peritiſſimis viris, in quibus etſi rigorem probem, acerbitatem, qua ſaepe in Genuenſem uſi ſunt, nullo modo.

OPERA EDITA.

Diſciplinarum Metaphyſicarum Elementa mathematicum in morem adornata. *Horum Elementorum priorem partem, in qua praeſertim perpenduntur philoſophorum ſententiae de mundi origine, & legibus, quibus ſubjicitur, exponenturque Ontologiae principia, edidit Genuenſis Neapoli an.* 1743. *Anno poſt coactus parere juſſis Spinellii Cardinalis & Neapolitanorum Archiepiſcopi*, Appendicem *emiſit, qua quaedam paullo obſcuriora clarius explicantur, & argumenta Scepticorum fuſius diluuntur. Poſtea plurima delevit, mutavit, addidit, & cum prima ſecundam, & tertiam partem vulgavit, haſque omnes Benedicto XIV. P. M. nuncupavit. His demum an.* 1751. *addidit quartam, quae eſt* de Principiis legis Naturalis, *& hoc morale opus Nicolao Vivianio dedicavit. Extat etiam Genuenſis epiſtola Italica ad Antonium Comitem, qua de natura & origine perceptionum, noſtrarumque idearum pluribus diſſerit. Hanc in extremo libro reperies Elementorum Logicae, quae Thomas Bettinellius edidit Venetiis anno* 1752. *Anno demum* 1759. *coactus Genuenſis calamum ſumere adverſus Paschalem Maglium pro defenſione ſuorum metaphyſicae Elementorum in lucem emiſit:* Lettere Filoſofiche ad un amico

Provinciale per ſervire di riſchiarimento agli Elementi metafiſici dell' Ab. Antonio Genoveſi Regio Cattedratico: In Napoli nella Stamperia Simoniana in 8. 1759. *Minime ſilentio praetereundum eſt, Genuensem anno poſt quam illa ediderat, novam adornasse editionem metaphyſicae elementorum quinque in volumina diſtributam, novoque plane ordine. Nam quae pars erat tertia ceteris in editionibus, ſecunda facta eſt, & quae ſecunda, tertia. Tali modo poſtquam in priori parte expoſuit principia Ontologiae & Cosmologiae, diſſerit in secunda de Theoſophia, in terria vero de Anima, atque humana natura, & in quarta denique de principiis legis naturalis.*

Antonii Genuenſis in Regia Neapolitana Academia Philoſophiae Profeſſoris Elementorum Artis Logico-Criticae libri V. Neapoli 1745. *Cum iterum Genuenſis ſumpſiſſet in manus haec* Elementa, *plurima in illa addidit, & vel iis satisfecit, qui non omnino Peripateticorum logicae nos oportere oblivisci ajebant, quod ſint in illa quaedam, quae ſcire, ſi non ad inveniendam veritatem, ad diſſerendum ſaltem videbantur neceſſaria. Multos poſt annos coarctavit Genuenſis, quae tum ad logicam, tnm ad metaphyſicam pertinebant, & Italice expoſuit cum hoc titulo:*

Inſtituzioni di Metafiſica per li Principianti 1766.

Inſtituzioni di Logica per li Principianti 1766.

Disputatio phyſico-hiſtorica de rerum corporearum

origine. *Praeit libro, qui inſcribitur;* Elementa phyſicae conſcripta in usus Academicos a Petro Van-Musschembroek. Neapoli 1745. typis Petri Plumbo. *Vulgatis jam Logices & Metaphyſicae elementis, ne quid deeſſet philosophiae ſtudioſis, Genuenſis phyſica haec elementa, conjuncta opera cum Joſepho Orlandio, edenda curavit.*

Discorso ſopra alcuni trattati d'Agricoltura indirizzato al Sig. Intieri, in cui ſi tratta del vero fine delle lettere, che è di giovare ai bisogni della vita. Napoli 1753. *Sexennio poſt, cum Latinam orationem haberet in Academia Neapolitana, ea demonſtrare sategit, quanta eſſent bona & commoda, quae ex litteris ad homines derivarent, ſi rite & ſancte illae tractentur. Litterarum etiam caussam defendit, cum adversus Rouſſojum vulgaſſet*

Lettere Accademiche. Napoli 1764.

Storia del Commercio della Gran Brettagna scritta da John Cary mercatante di Briſtol, tradotta in noſtra volgar lingua da Pietro Genovesi Giureconſulto Napoletano con un ragionamento ſul Commercio universale e alcune Annotazioni riguardanti l'economia del noſtro regno di Antonio Genoveſi R. Professore di Commercio e di Meccanica nella Cattedra Interiana, dedicata à S. E. Romualdo Sterlich de' Marcheſi di Cermignano. In Napoli 1757. per Benedetto Gessari; Tomi II. in 8. *Quae in*

hoc opus addidit Genuenſis, raptim & curſim exaravit. Multa tamen utiliſſima praecipiunt, & ſatis declarant illum fuiſſe hominem, qui non ſibi ſolum ſe natum putabat, ſed patriae, sed ſuis.

Delle Lezioni di Commercio, o ſia di Economia civile, da leggerſi nella Cattedra Interiana dall'Ab. Genoveſi Regio Cettedratico, Parte I. per il primo Semeſtre, Parte II. per il secondo Semeſtre. *Nihil his acroaſibus fieri potuit utilius ad excitandam hominum induſtriam et ad rempublicam bene adminiſtrandam, & vel ipſi jurisconſulti in iis invenire possunt plurima ad jus pertinentia, quae, duce philosophia, optimo in lumine collocata ſunt.*

Discorso sopra l'Agricoltura, premesso all'opera di Coſimo Trinci Piſtojese intitolata: L'Agricoltura ſperimentata, ovvero regole ſopra l'agricoltura. Napoli 1764. *In extremo libro extat*

Idea del nuovo metodo di Agricoltura Inglese. *Nova haec ratio colendorum agrorum propoſita fuit a viro Britanno, cognomine Tull, qui opus ſuum binas in partes diviſit. Harum in altera de plantarum vegetatione egit, in altera vero de operibus, quae necessaria ſunt tum ad praeparandam & occandam terram, tum ad colendas plantas, poſtquam eae germinare coeperunt. Genuenſis expoſuit non ſolum a Tullio proposita, sed etiam, quae de iis, experientia duce, noverat vir Gallus Duhamelius. Quaedam etiam ipse expertus eſt, cum terrae mandaſſet semina fru-*

menti, deque ſuis experimentis mentionem fecit:

Diſcorſo ſul volgarizzamento del Saggio Franceſe ſull' Economia de' grani. Napoli 1765.

Meditazioni Filoſofiche ſulla Religione e ſulla Morale. Napoli 1758. nella Stamperia Simoniana, & 1766. a ſpeſe Remondini. *Si quid judico, nihil in hoc libro dixit Genuenſis reconditum, nihil expectatione ſua dignum, nihil aut inauditum nobis, aut cuiquam novum, quanquam in eo ſe oſtenderit artificii cupidum.*

Della Diceoſina, o sia della filoſofia del giuſto e dell'oneſto, Tomi III. preſſo Domenico Torres, negoziante di libri in Napoli 1776. in 8. *Hujus operis primum volumen prodiit Neapoli an. 1766. atque non multo poſt iterum recuſum fuit.*

Univerſae Chriſtianae Theologiae elementa dogmatica, hiſtorica, critica Antonii Genuenſis olim in Regia Neapolitana Univerſitate P. P. P. Venetiis 1771. typis Jo. Baptiſtae Paſqualii Vol. II. in 4. *Opus hoc vel* ab an. 1742. & fortasse antea, inchoatum, minimeque a Genuenſi perfectum (quanquam haec otia ſepoſuiſſe ſenectuti diceret) *non ſine magno Editoris labore contextum fuit. Quaedam enim erant in eo aliena manu mendoſe ſcripta, quaedam ab ipſo Auctore adeo vacillantibus litterulis exarata, ut verborum ſenſus vix erui poſſet. Quae vero quantave ſint, quae in ipſo tractantur, ex ipſo Genuenſi cognoſces. Ait enim, in extrema pagina.*

Diſputatum eſt in I. dè germanis Theologiae Principiis demonſtratumque eſſe ea Rationem, & Revelationem, ita ut primae partes ſint Revelationis. Ratio enim tantum anteit, comitatur, & ſequitur Revelationem, tamquam dominam ancilla. Uſu vero Rationis & Revelationis, quae ad Dei naturam, proprietates, Deumque Trinum, & Unum pertinent in II. ſunt explicata . III. autem Univerſi creatio ex nihilo, & praecipua univerſi opera, homines potiſſimum , & Angeli, materiem dederunt. In IV. de Providentia Dei, ſeu mundi regimine, univerſoque, aeterno, & naturae jure diſſeruimus. In V. gradum fecimus ad Religionem explicandam ; actum eſt de Religione Naturali, Gentili, Muhammedana, Hebraea, & Chriſtiana, Chriſtianaeque variis ſectis, oſtenſumque , Chriſtianam , eamque Catholico - Romanam veram eſſe. In VI. vero libro de mediis ad Religionem conſequendam , & ſervandam neceſſariis diximus; nempe de vocatione , & aeterna Praedeſtinatione, Gratiae auxiliis , de Chriſto , de Sacramentis . Tandem de altera vita in poſtremo hoc libro egimus. Demonſtratum eſt, animos humanos esse incorporeos, & immortales: ſupereſſe aliam vitam beatam, vel miſeram, damnatorumque poenas, ut beatorum gaudia ita eſſe aeterna, ut nullum habitura ſint terminum .

ANGELUS FABRONIUS

VICTORI FOSSOMBRONIO

S. P. D.

I*Lla philoſophiae pars, cui propoſita eſt naturalium legum, hominiſque cognitio, atque rerum publicarum felicitas, quamque omnium utiliſſimam eſſe facile arbitrabimur, a veteribus ſane multum promota fuit eo praeſertim tempore, quo Socrates, ablegatis minutis ſubtilitatibus, diſputationibuſque, ad commune judicium popularemque intelligentiam minime accommodatis, e caelo in terram ipſam philoſophiam evocaviſſe, & in urbibus domibuſque collocaſſe judicatus eſt. Quod ipse ſcripta nulla reliquerit, ſtuduerunt homines doctrina clari monumentis litterarum mandare ejus eximia ac prorſus divina praecepta, e quibus prae ceteris excelluere Plato, Xenophon, & Aeſchines ille, cui Socratici no-*

men inditum fuit. Hos omnes, quod aetate anteiverit Pythagoras, quodque hic quoque non mediocrem partem ſtudiorum ſuorum contulerit ad perpoliendos hominum mores, melioreſque reddendos, dubitari poſſe videtur, an ille dux, & princeps hujus optimi ac ſalutaris conſilii dicendus ſit, praeſertim cum ex ejusdem ſchola prodierint multi clari & illuſtres viri, ut Architas Tarentinus, Timaeus Locrus, & Lyſis ille Epaminondae inſtitutor, qui monitis ſuis, referentes omnia ad humani generis utilitatem, magna adjumenta ad res, maximeque publicas bene ac ſapienter gerendas attulerunt. Sed quod Pythagorei conſueverunt praecepta ſua occultius tradere, & myſteriis quibusdam involvere, plurimum de arte conceſſerunt iis, qui aperte, ac ſine fuco & involucris, quae jubenda quaeque vetanda, quae ſequenda, quaeque declinanda in vita erant, docuerunt. Magnam etiam utilitatem attulit hominibus Ariſtoteles, cum horum omnium ſententias diligenter & collegiſſet & conſideraſſet, & quid de iis ſentiret libere aperuisset, minime reverens reprehenſionem eorum,

a quibus inſimulabatur, quod in refellendis, addam etiam exagitandis vel Platonis ipſius dictis parum pium & gratum erga praeceptorem ſuum ſe oſtenderit. Quod vero univerſa de homine philoſophia tres omnino in partes ſit diſtributa, quarum prima in ſingulis hominibus excolendis & probe inſtituendis tota verſatur, altera in re familiari recte ordineque diſpenſanda, tertia in universa civitate regenda, nullam harum partium non a ſe diligenter tractatam atque expolitam reliquit Ariſtoteles. Priorem vero illam partem, quae de moribus eſt, non ſatis habuit ſemel tractare, cum ter uſque hanc curam ſuſcepiſſet, & qui ad nos integri pervenerunt ejusdem ad Nicomachum filium libri, omnium exquiſitiſſimi fuiſſe exiſtimantur. Romani in omni praeclara arte Graecorum aemulatores non minus ſibi excolendam putarunt hanc frugiferam philoſophiam, cujus qui ſtudioſi ſunt, dolere nunquam ceſſabunt jacturam ſex Ciceronis librorum de Republica, de quorum praeſtantia judicari poteſt ex particula, quae fortuito erepta eſt ex naufragio, qua nihil gravius, nihil eruditius, nihil convenientius

homini, qui res magnas & admirandas geſſerat in Republica, excogitari poteſt. Quae ſequentibus ſaeculis conſecuta eſt barbaries, vel memoriam extinxit eorum, qui optime de morali philoſophia meriti erant, quamvis ea docuiſſent, quibus carere ſine probro, & abundare ſine gloria minime licebat. Quod ſi tantopere per ea ipsa tempora colebantur artes quaedam, quae nihil ſibi aliud, quam lucrum, & rei familiaris amplificationem tam incertam, tam laboris & periculi plenam proponunt, quanto haec ſtudio digna putanda erat, qua parantur verae illae opes animi, quae non furto eripi, non incendio abſumi, non naufragio abſorberi poſſunt, quaeque certam rectamque viam demonſtrat ad perſequendum id bonum, quo cetera omnia continentur, virtutem dico, qua remota nulla digna homine voluptas, nedum beatitas vitae ſperanda eſt? Experrecti ſunt tandem homines, poſtquam longo ſane intervallo litterarum Graecarum iis lumen affulſit, quodque hae primum excoli Florentiae & per Florentinos homines coeperunt, his quoque laudem dabimus, quod moralis philoſophiae

ſtudia revocarunt. Plura de hac re tum in Cosmi, tum in Laurentii Mediceorum vitis tetigimus, & poſtquam illam priorem emiſimus, cum ad manus noſtras perveniſſet Latina interpretatio, quam Alamannus Rinuccinius fecit Plutarchi libri de conſolatione, referre nunc minime pigebit, quae ipſe de ingenio Coſmi, deque illius ſingulari ſtudio in Ethicis jure meritoque praedicavit. Etenim poſtquam expoſuit quanta ille animi fortitudine pertulerit Joannis filii, in quo ſpem familiae collocaverat, caſum : quae, *inquit*, cum magni ſint animi argumenta, tum illud praecipue ſum admiratus, quod triduo poſt mortem filii a me ipſo perſpectum nunquam deſinam praedicare. Nam cum ad te ſalutatum veniſſet Joannes Argyropylus, vir & philoſophiae, & omnium bonarum artium ſcientia praeſtantiſſimus, egoque eſſem una, & pauci admodum condiſcipuli, memini inter loquendum controverſiam incidiſſe, uter dignitate praeſtantior in civili ſocietate habendus eſſet, rei ne militaris imperator, an qui ſummae Reipublicae gubernandae praeeſſet, cumque Nicodemus Mediolanenſis Ducis

Orator, vir & militaris diſciplinae non ignarus, neque a litterarum ſtudiis abhorrens, imperatorias partes ſuo quodam jure tueretur, ceteri vero reip. gubernatorem praeferendum cenſerent, tu utrorumque rationibus auditis, pro gubernatore orationem habuiſti, tanto verborum ornatu, tanta ſententiarum copia gravitateque refertam, ut cum dicendi facundiam omnes laudarent, tum ingenii magnitudinem, animique conſtantiam, memoriae tenacitatem vehementer admirarentur, quod ex veterum ſcriptorum, & Ciceronis variis in locis, tum praecipue in Sexto de Republica libro ſententias ad verbum ita referres, ut eas res non ex memoria repetere, ſed ex libris ipſis legere videreris. Quin etiam ſapientis illius Catonis exemplo, philoſophiae ſtudia revocans, cui etiam adoleſcens operam dederas, Ariſtotelis Ethica legere te inſtituiſſe dixiſti, idque poſtea coeptum opus tam diligenter avideque proſequi audivi, ut ne doloribus quidem corporis interpellantibus poſſis ab eo dimoveri. *Haec, tanquam Coſmi ipſius vitae corollarium, hoc loco referre libuit. Pleni autem ſunt omnes fere illius aetatis libri lau-*

dum, quae tribuuntur Platonicae Academiae ab ipſo inſtitutae, quod per eam maxime ſtudia moralis diſciplinae proveherentur. Sed dum differebant philoſophi de beata civium vita, de optima imperiorum forma, deque optimis legibus, & efferebant ſapientiſſimum illud Platonis dictum, tum demum beatas civitates fore, cum aut regnarent philoſophi, aut Reges philoſopharentur, omnia adeo occupabat, ambitio atque avaritia, ut nihil ſanctum, tutum ac tranquillum eſſet. Adverſus hos, qui integras funditus everterunt atque afflixerunt civitates, non praeceptis, ſed armis dimicandum fuit. Poſtquam vero ſtabilitatem quamdam imperia, quae antea perpetuis agitabantur fluctibus, habere coeperunt, non defuerunt viri ſapientia clari, qui, philoſophia duce, optimo in lumine collocarunt quae communia eſſent omnium locorum incolis, quid inſideret in animis ac natura hominum, quid ad ſocietatem eſſet accommodatum, quique praeterea gentium ſingularum ingenia, victum, caelum ſpectarent, eaſque ubique leges probarent, quae convenirent locorum naturae, ac principiis, quibus imperia & reſpu-

blicae ſuſtentantur, & quaſi animantur. Hisce e fontibus Montesquiejus magnam partem duxit praeceptorum ſuorum, cum mores civitatum fingere, fines bonarum & malarum legum, & libertatis, qua frui homines debent, conſtituere, officia imperantium, ſubditorumque iis populorum deſcribere ſibi propoſuiſſet. Non omnia, quamvis ſpecie optima, omnibus conveniunt, quapropter ſapientiſſimam illam Solonis vocem arbitrabimur, qui profitebatur ſe non meliores dedisse leges Athenienſibus, ſed eas, quas eorum ingenio ac naturae magis accommodatas eſſe arbitratus eſt. Sunt & quidam, qui legibus adeo tribuunt, ut per eas informari poſſe mores putent, verum niſi praemia, exempla, optimaeque inſtitutiones paullatim inſtillent univerſorum animis politioris humanitatis virtutiſque ſtudium, quae jam invaluerunt, vitia tollere haud omnino poterunt. Immenſum quiddam & infinitum eſt, quod ante oculos habere debent legum latores & imperiorum rectores, ut ſuorum aliorumque felicitati conſulant, nullaque non laude celebrandi ii ſunt, qui ſcriptis ſuis id enucleare ſatagunt, ori-

ginem viciſſitudineſque civilium & criminalium legum quaerentes, conſuetudines & inſtituta populorum perpendentes, & in omni re quid utile, quidque conſentaneum ſit rationi, & hominum naturae praecipientes. Is profecto, qui haec intelligit, & idonea maxime eligit, & omnia in arte ſcribenda redigit in ſingulas rationes perceptionis, neceſſe eſt ejus rei ſummus artifex ſit; & quod in horum numero ponere minime dubitamus Cajetanum Filangierium, hiſtoriae munus ei ſic perſolvendum putavimus, ut non modo ejus ſcripta, ſed & imaginem conſuetudinis vitaeque illius, & ſi qua alia memoria digna erant, exprimamus. Vide, inquies, ne facias impudenter, qui tuo nomini velis ex aliorum laboribus libare laudem. Nam qui ſumet in manus, quae Donatus Thomaſius de eo memoriae mandavit, & quae illius ſunt, de commentariolo tuo ſuſtulerit, nihil tibi relinquetur. Scienter ille quidem de Filangierio ſcripſit, ſed tute jam noſti propoſitum mihi eſſe hiſce voluminibus comprehendere vitas excellentium virorum complurium, non modo eas, quas ceteri minime attigerunt, sed

& eas, quas ſeparatim multis millibus verſuum complures ſcriptores ante nos explicarunt. Accipito igitur Filangierii vitam eo, quo cetera mea ſoles, animo benevolo, tibique perſuade nihil me malle, quam teſtari omnibus quanto in pretio habeam tuum judicium, tuamque praeſtantiam in omni praeclara arte atque doctrina, qua utilia & glorioſa multa Etruriae noſtrae praeſtare, & malevolorum obtrectationes & invidias proſternere facile poteris. Vale.

Piſis III. *Kal. Decembris*
MDCCXCI.

Digitized by Google

Cajetanus Filangierius.

Nobiliſſima & antiquiſſima apud Neapolitanos eſt Filangieriorum familia, quae a Northmannis illius gentis domitoribus originem duxiſſe putatur. Florens & potens fuit, dum illud regnum tenuerunt Svevi & Andegavenſes, coepitque fortunae iniquitatem ferre, poſtquam Regina Joanna II. legem tulit, qua in feudorum, ut loquuntur, ſucceſſionibus patruis ſorores praeferebantur (1). Sic enim multa, quae poſſidebat, oppida ad Caracciolorum familiam pervenere. Hoc genere ortus eſt XV. Kal. Septembris an. MDCCLII. Cajetanus Filangierius, cui pater fuit Caeſar Arianelli Princeps, mater autem Maria Anna Montalta e Frangiti Ducibus. Ab his mature militiae deſtinatus, in ea verſari coepit, cum quatuordecim eſſet

(1) *Haec, ut loquuntur, Pragmatica extat in I. de feudis, ac vulgo appellatur Filangeria.*

annorum, quo tempore non admodum profecerat in ſtudiis litterarum, quod pati non poterat perverſum docendi morem. Ingenii indicia dedit, cum adeſſet praeceptori majoris natu fratris erranti, dum geometricum quiddam explicabat. Praetulit illi lumen, quo in viam rediret, tumque novit ſe & poſſe aliquid in hujuſmodi exercitationibus tentare. Itaque relicta militia, totum ſe dedidit litteris & philoſophiae. Quanta fuerit illius ingenii vis, & induſtria ex eo intelligi poteſt, quod cum perveniſſet nondum ad viceſimum aetatis annum, ſatis luculenter & Graece & Latine ſciebat, veterum populorum hiſtoriam callebat, non hoſpes erat in ullis fere matheſeos partibus, noverat civitatum jura, & naturalis legis principia, & cum multa vidiſſet, multa auribus accepiſſet, multa animo & cogitatione, multa etiam legendo percurriſſet, bina opera Italica ſcribenda ſuſcepit, alterum de publica & privata educatione, alterum autem de officiis Principum ab natura ſocialique ordine petitis, quae quamvis non abſolverit, non mediocrem tamen ex iis materiem traxit, cum poſtea de legislatione ample & docte,

ut mox dicemus, tractaret. Haec illi erant potiora, veriſſimam Epicuri ſententiam putans, qui ajebat nullam ſe eruditionem ducere, quae beatae vitae diſciplinam minime juvaret. Invita tamen Minerva, ut ſuis morem gereret, forum attigit (haec enim compendiaria quaſi via eſſe putabatur ad honores obtinendos) in eoque patroni munus exercuit. Sic tum colebatur juris prudentia Neapoli, ut illi minime deeſſet Graecarum Latinarumque litterarum lumen, addo etiam, eloquentia. Verum eadem prorſus carebat philoſophia, quare minime eſt mirandum ſi innumera plane irrepſerant vitia in magiſtratus, qui jus dicebant. Porro jura fere omnia nutu atque arbitrio, aliquando etiam licentia judicum gubernabantur, quod ut tolleretur malum, conſiliario Bernardo Tanuccio, Carolus Rex hujus nominis III. anno MDCCLXXIV. juſſit lites omnes definiri auctoritate legum; ſi harum ſcita ſatis non eſſent perſpicua, ſic interpretanda, ut argumenta ex aliis minime obſcuris legibus ſumerentur; ſi hae minime ſufficerent ad interpretationem obtinendam, ac omnino ſileret ſcripta lex, tum ad vivae legis, id eſt ſummi imperantis

oraculum recurrendum, ut quod dubium erat explicaret, aut quod non praeviſum ſancitumque erat, ſuppleret. Tali modo ablegabantur a judiciis Doctorum auctoritates opinioneſque, ſubjiciebanturque legibus magiſtratus, quibus & praeſcriptum fuit, ut in publico proponerent rationem latarum a ſe ſententiarum. Regio huic ſcito plauſere philoſophi. Illa vero turba & colluvies forenſis haud pati potuit ademptam fuiſſe ſibi libertatem in alienas fortunas invadendi. Reſtitit huic Filangierius, edito illo ipſo anno libello ſane aureolo, quo probavit novam illam legem ſociali libertati tuendae opportuniſſimam eſſe: cum libertatem dicit, nihil aliud intelligi vult quam pacta legibus comprehenſa, ſine quibus nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec mundus poteſt. Exponit quot erumpant mala ex licentia, ut ita dicam, forenſi, & ex more, qui inveteraverat, dimicandi ſophiſmatibus, perorandique definiendique lites Doctorum ſententiis, omninoque convincit, indignum eſſe in ea civitate, quae legibus teneatur, diſcedere a legibus in judi-

ciis pronuntiandis, quod hoc ſit vinculum ſocietatis, hoc fundamentum libertatis, publicaeque tranquillitatis. Tanuccius, cui nuncupatum fuit opus, ſatis mirari non potuit in juvenilis aetatis homine tantam ineſſe doctrinae copiam, ſtimuloſque illi addidit, ut pergeret viam tenere, quam inſtituerat. Quoniam vero tricae forenſes nullam cum philoſophia rationem habere poſſunt, quanquam illarum commendatione multi ad honores obrepant, non minorem animi magnitudinem in iis deſerendis oſtendit Filangierius, quam virtutem in declinandis juvenilis aetatis oblectamentis atque erroribus. Erat ei quaſi naturale quoddam pabulum conſideratio, contemplatioque humanae naturae jurium, officiorumque, quae ſunt hominis propria, a quibus tum publica, tum privata felicitas pendet, cumque per omnes civitates, omniaque Europae imperia ejus animus percurreret, leges, inſtituta, mores, viciſſitudineſque inter ſe comparans, vidit omnia plena errorum & malorum eſſe, neque ea tolli poſſe, niſi naturae, civium omniumque mortalium ſocietati ſua redderentur jura. Quanquam nulla utilior ſit ſcientia, quam quae

verſatur in diſcernendis bonis maliſque legibus, inveſtigandiſque rationibus, quibus ſocietas hominum inter ipſos, & vitae quaſi communitas continetur, ſerius tamen illa apud nos excoli coepit, & quae politices ſemina ſparſit Macchiavellius ſuis in ſcriptis, magis ad vim & fraudes tyrannorum noſcendas ac perpetiendas, quam ad felicitatem aſſequendam pertinere videntur. Nae iſta glorioſa ſapientia Hobbeſianorum & Rouſſejanorum, ut externa quoque commemorem, magno aeſtimanda eſt, cum non multum differat ab inſania. Quanta autem debeat esse conjunctio ethices cum politice in civilibus legibus ferendis docuit maxime Baco a Verulamio (1), cujus praecepta ſecutus Filangierius novum ſe poſſe moliri opus putavit, quod mederetur tum veterum inſcitiae, tum recentiorum quorumdam philoſophorum licentiae, ſimulque jura copularet naturae, religionis & civilis ſocietatis. Hujus operis primum & ſecundum

(1) Vid. Nov. org. Part. II.

volumen Neapoli an. MDCCLXXX. typis Raimondianis vulgavit, univerſique ſeptem in libros tributi is eſſe debebat ordo, ut in primo haberetur regula, ad quam omnis dirigeretur legislatio, in ſecundo ageretur de legibus politicis & oeconomicis, in tertio autem de criminibus, in quarto de educatione, moribus, publicaque inſtitutione, in quinto de religioſis legibus, in ſexto de proprietate bonorum, ac demum in ſeptimo de illis legibus, quae ſpectant ad patriam poteſtatem & ad bene gubernandas familias. Homines diſperſos et diſſipatos unum in locum congregavit ſpes adipiſcendi augendique non ſolum, quae ad vitam ſuſtentandam ſunt neceſſária, ſed etiam commoda ab natura data animo & corpori. Plurimum vero eos movit tranquillitas vitae, cujus fructui cetera omnia bona ita inferiora putantur, ut omnes moleſtiae ac labores, atque ipſa etiam bella hujus unius cauſſa ſuſcipiantur. Haec praeſertim, ut omnium hominum propria, ſpectare debent legum latores; ſunt autem quaedam propria quorumdam populorum, & haec quoque ii ante oculos habere debent. Multa naſcuntur, occidunt,

ſluunt, labuntur, nec diutius uno eodemque ſtatu eſſe poſſunt, quapropter ſapientis erit legiſlatoris juſſa ſua accommodare ad temporum, locorum, ac morum ipſorum viciſſitudines, & magis, quae ſunt opportuna, quam quae ſunt optima conſiderare. Legum lator benevolentia civium & opinione prudentiae, non armis ſeptus ſit oportet, & ſi legum facienda erit mutatio, ab iis initium ducet, quae omnibus videantur commodiores ac utiliores, aptioreſque ad variam imperiórum naturam. Quid in quamque conveniat recte admonet Filangierius, non tam rationibus, quam exemplis utens, & dum leges perpendit, quibus ſtat & floret res Britannica, quid locorum ſitus, hominum induſtria, & imperantium prudentia atque calliditas efficere poſſit indicat. De caeli vi, cui ſane nimium tribuit Montesquiejus, nihil vero Humius, ſic iudicat, ut mediam quamdam inter utroſque teneat ſententiam; prorſus nihil praeterit, quod conducere poſſit ad noſcendas optimas leges, & ad obtinendam per eas populorum felicitatem. Poſtquam omnes locos de legibus generatim expoſuit, de politicis & oeconomicis ita egit,

ut vias monſtraret, quibus & incolarum frequentia & opulentitas haberi poſſit. Illi ſunt impedimento fideicomiſſa, primogeniturae, feuda, tributorum acerbitas & inaequalitas, lauta & ampla Eccleſiarum patrimonia, magnae ſtabileſque copiae mercede conductae, huic autem ignoratio earum rerum, quae conducunt ad agriculturam, commercium, artesque provehendas. Dum his conſulere vult legislator, multa praevidere & cavere debet, fautor erit libertatis, aemulationis, omniſque induſtriae, minime negabit praemia & honores iis, qui res utiles & accommodatas locorum naturae atque fortunae ſuſcipiunt, ac meminiſſe debet ſaepe culpa Regum accidiſſe, dum nova & gravia ſtatuere voluerunt vectigalia, & omnia moderari, movere, & regere, quae ad commercium pertinent, ut pecora relinquerentur, agricultura desereretur, & mercatorum navigatio conquieſceret. Impedimentis ſublatis, quae innumera eſſe poſſunt, cura illi erit viarum, portuum, canalium, monetae etiam, ut peraequa proportione ſit cum ceterarum nationum monetis, tuebitur ab hoſtibus piratiſque maritimas oras, maritimos·

que curſus , portoria ceteraque vectigalia ac tributa aequitate neceſſitateque moderabitur (e tributis , quod territoriale dicitur, omnibus praeferre videtur Filangierius) apertiſque tali modo divitiarum fontibus, efficiet, ut quam late diffundantur, neque exitium, neque periculum a luxu verebitur, ſi contineatur in parandis vitae commodis, neque civitatis mores corrumpere conetur. Quae copioſiſſime ob eorum praeſtantiam exponi potuiſſent, breviter ſtrictimque tetigimus (1) ac praeclara multa omiſimus, quae ornant iſtud Filangierii opus, quo in univerſo ſpirat mens philoſophi, qui poſtquam compleverat pectus maximarum rerum varietate & copia, nil optabat magis quam ea ad humani generis bonum conferre, illi ſedes, & tamquam domicilia omnium argumentorum, quibus reipublicae bene adminiſtrandae ſcientia comparetur, commoſtrans. Nil vero ipſum commovit ac perturbavit cla-

(1) *Copioſius de his, deque ceteris voluminibus diximus in Vol. LXXXV. Ephemeridum Litteratorum.*

mor invidorum, qui ſpargebant in vulgus, ab illo vituperatam praesertim fuiſſe inscitiam eorum, qui res Neapolitanas adminiſtrabant, quorumque fidei ac prudentiae ſpectatiſſimae Rex populorum ſuorum ſalutem commendaverat. At ille in ſummo legum latore fingendo, quemadmodum in ſummo oratore M. Tullius, talem informare voluit, qualis fortaſſe nemo extitit; quapropter neceſſe fuit non unius modo regni, ſed omnium fere vitia detegere; ſed neminem offendit illius oratio; niſi qui ſe ita obtulerit, ut in eum non invaſiſſe, ſed incurriſſe videatur. Atque huic ſuae voluntati, ſingularique publicae felicitatis ſtudio minime difficultatem attulerunt ipſi Neapolitani regni rectores. Facta enim poteſtate imprimendi operis, ſatis declararunt fas eſſe Filangierio & ſentire quae vellet, & quae ſentiret, dicere. Honores quoque eidem a Rege tributi iſtud non modo confirmarunt, ſed etiam perſuaſerunt hunc magnopere concupiſcere, ut ille pergeret oſtendere patriae lumen animi, ingenii conſiliique ſui, ac ſi fieri potuiſſet, mederi imbecillitati multorum, quos depravatio conſuetudinum & opinionum vanitas tor-

quebat. Vel ab anno MDCCLXXVII. coeperat eſſe in aula Regi a cubiculo, adſcriptuſque maritimae militiae, in quam legebantur omnes ii, genere & nobilitate civitatis facile primi, qui Regem ipſum circumſtabant. Poſt id Conſtantinianum in Ordinem cooptatus, ampla illius bona poſſedit, quibus aliiſque beneficiis adeo ſe Regi obſtrictum profitebatur, ut omnia illius cauſſa vellet. Recte augurabatur, illo regnante, certamen fore inter cives virtutis, & ambitionem gloriae, felicium hominum, ut Tacitus inquit, affectus (1). Nunquam ſane illius aures veritati obſtructae fuerunt, gratulatuſque eſt Filangierio, quod cauſſam humanitatis peroraſſet, editis an. MDCCLXXXIII. tertio & quarto operis voluminibus, quae de aequitate criminalium legum compoſuit. Conſulere hae debent ſecuritati tranquillitatique civium, quae obtineri nequeunt, niſi periculi metu frangantur audacia & improbitas illorum, qui

(1) Annal. lib. XV.

ad violandas leges ſunt propenſi. Quoniam autem in omnibus criminum cauſſis quatuor ſunt gradus, accuſatio, quae more inſtitutoque veterum populorum publice a civibus fiebat, rei in judicium vocatio, criminis probatio atque ſententia, de his ſingulis copioſe ſibi agendum Filangierius putavit. Mira ſane illius accuratio fuit in inveniendis exponendiſque omnibus iis rebus, quae perverſo, atque inhumano more in hujuſmodi judiciis fiunt, ac ſaepe illius oratio exardeſcit contra eos, qui carceribus, fallaciis, tormentis abutuntur ad extorquendam errati confeſſionem, & ſpecie obſtruendi perfugia improborum communis humanitatis jura violant. Indicat quae eſſe debeat proportio inter poenam & crimen, & quamvis his de rebus omnibus multa ſint ſcripta ſapienter, ſic tamen eas tractat Filangierius, ut non difficile ſit, illo docente, qui paullulum modo ingenio valeat, quaecunque cauſſa, conſultatioque de criminibus acciderit, ejus tenere jus aequitatemque, cum ſciat a quo ſit capite repetenda. Multus eſt in objiciendis erroribus, in quos tum veteres, tum recentiores legum criminalium latores, ac prae-

ſertim juris feudalis conditores inciderunt, & poſtquam omnes & judiciorum & ſuppliciorum acerbitates ex memoria noſtra ac patrum noſtrorum, atque ex annalium monumentis, & populorum hiſtoriis conquiſivit, ſaepe orationem admovens ad ſenſus animorum, praecepta dat ſapientiſſima, quibus conſecutus videtur difficillimam illam ſocietatem ſeveritatis cum humanitate, ut ſibi quiſque reus timeat, omniſque bonus & innocens civis tranquillitatem animi ac ſecuritatem obtineat. Quoniam vero ex omni vi & injuria nulla capitalior eſt, quam eorum, qui cogitate, nulloque agitati iracundiae motu cives vita orbant, his vitae uſuram dari non oportere docet, at ſic ſumendum de iis ſupplicium, ut a crudelitate abſit, horribile tamen ac pertimeſcendum omnibus videatur. Praeclara ſunt quae de infamia, de mulctis, de exilio, de privatione munerum, aliiſque hujuſmodi poenis tradit, omnia ad aequitatis naturalis regulam, ad pacta ſocialia, & ad variam etiam populorum naturam inſtitutionemque referens. Poſtquam conſideravit leges, quibus civitates & regna regi debeant, hujus diſciplinae ſcien-

tiam

tiam ex intima maxime hauriens philoſophia tribus voluminibus exeunte an. MDCCLXXXIII. vulgatis de publica educatione egit. Non eadem ratio eſſe debet in educandis hominibus, qui vi corporis, & iis, qui vi ingenii ſerviunt reipublicae. Illi priores ſumptibus publicis, hi vero privatis informabuntur. Excitanda eſt illorum induſtria, corroborandumque corpus ad omnes artes utiles exercendas, eorum vero animus ab ineunte aetate talibus doctrinis imbuendus, quae bonos mores, virtutis & gloriae cupiditatem afferant, atque ad vitae commoditatem conducant. Utriſque communia eſſe poſſunt moralia praecepta, ſed eſt inſtitutio quaedam propria adoleſcentium, qui ſe muneribus reipublicae obeundis deſtinarunt, in qua declaranda ſe doctum & prudentem oſtendit Filangierius. Quod ſi natura tales nos genuit, ut primum facultatem percipiendi exerceamus, deinde res perceptas memoria ſepiendi, poſtea ornandi, ac demum ratiocinandi, optimam hanc ducem in curſu ſtudiorum conficiendo ita ſequemur, ut idem ſit ordo, addita optima inſtitutione atque diſciplina ad cujuſque ingenium accommodata. Ut breviter,

quae huc uſque expoſuimus, complectamur, beata ſane illa eſſet Reſpublica, quae haberet optimas leges tum politicas, tum oeconomicas, per quas opulentia paratur, & induſtria excitatur, quae civili libertati conſuleret vitioſis atque inhumanis criminalibus inſtitutionibus aut emendatis, aut e medio ſublatis, quae ipſarum legum ſubſidio abundaret civibus ad bonos informatis mores, inflammatisque cupiditate tum patriae, tum propriae gloriae, adeo vero bonis artibus ac diſciplinis inſtitutis, ut nihil miſerius praeteritorum temporum inſcitia atque barbarie arbitrarentur. His autem omnibus a Filangierio optimo in lumine collocatis, reſtabant alia, quorum non minus utilis, & difficilior etiam erat tractatio. Nemo profecto ignorat inſcitiam multam verſari in iis rebus, quae ad religionem pertinent, ac expedire plurimum reipublicae tolli errores, ſuperſtitioneſque, & ad eam opinionem adducere homines, ut nihil melius putent religione, quae cultu Dei pio, caerimoniiſque rite inſtitutis continetur. De hac itaque ſic agendum ſuſcepit Filangierius, ut quae temere ac fallaciter, quaeque vere ac ſapien-

ter a majoribus noſtris conſtituta fuere, aperiret, nihilque earum rerum omitteret, quae rationem reddunt conjunctionis, quae eſſe debet inter religionem ipſam civilemque felicitatem. Uno volumine, quod ad umbilicum perduxit, comprehendit omnia ea, quae originem, progreſſiones, varietates, ac mala politheiſmi declarant, & hic veluti gradus jactus fuit ad commendandam bonitatem neceſſitatemque novae religionis, quae corroboraret notitias veri boni, verique mali tum moralis, tum civilis, quae ad bonum obtinendum, fugiendumque malum maximam vim haberet, cujus dogmata mirabiliter conſtanterque conjuncta eſſent cum iis, quae credenda ſunt & quae agenda, quaeque nil praeſcriberet aliud, niſi quod ſanctum, caſtum, auguſtum, omninoque Deo dignum eſſet. Hic ſane locus grandia requirebat, ſive oſtendendum eſſet, quid a religione ſapientiaque majorum noſtrorum, ab utilitate reipublicae, voluntateque ſanctiſſimarum legum remotum ſit, ſive proponenda remedia hujuſmodi incommodorum, hominum vel malitia, vel inſcitia invectorum. Verum mors impedivit Filangierium, ne hanc partem tracta-

ret, ad quam contexendam vigiliis & laboribus ſummis infinitam pene materiem collegerat ex SS. Patrum, aliorumque religioſorum scriptorum tum veterum, tum recentiorum libris. Is fortaſſe in universo hoc opere acrioribus remediis ſaluti reipublicae ſubveniendum putavit, & cum aeſtus quidam publici boni eumdem abſorbuiſſet, non ſatis vidit plura a ſe tradita fuiſſe, quae fieri ſine ſumma difficultate non poterant. Neque ſane intellexit quam ſcopuloſo in loco verſaretur, cum proponebat fideicommiſſa, primogenituras, immunitates, ac jura omnia feudalia tolli, minui Eccleſiae bona, poteſtatemque eorum, qui illi militabant, quare minime eſt mirandum ſi a Joſepho Grippa palam oppugnatus fuit, & cenſoriam animadverſionem Decuriae Romanae, quae *Indicis* appellatur, pati debuerit. Mediocriter haec illum tetigere, ſicque in opere jam ſuſcepto, vel interdum adverſantibus valetudinis incommodis, perſeveravit, ut nullus illo in perferendo labore conſtantior esse videretur. His verbis ſcribebat aliquando ad amicum. *Suſcepi laborem utilem hominibus, mihi ipſi non neceſſarium, cum procul*

a negotiis vitam agere conſtituerim. Facultatem ſcribendi largitur mihi multitudo vitiorum peccatorumque, quae in rempublicam irrepsere. De his noctes ac dies cogito. Utinam ſalubrioribus conſiliis mederi iisdem poſſem, atque continere Principes, ne peccatis, maliſque conſuetudinibus indulgentes, ſeque, & totam rempublicam in praeceps dedant. Hoc etiam ſpe aggreſſus eſt majore, quod ſciebat Regem ſuum, quocum familiariter vivebat tum in urbe, tum in agris ruſticationis & venationis gratia, multa volvere animo, per quae opes & potentia Neapolitanorum augeretur. Id ut facilius obtineret an. MDCCLXXXVII. Filangierium legit ſummum in conſilium, cui commiſſum fuit videre, qui fontes eſſent divitiarum regni, hos augere, late ac varie diffundere, atque eniti, ne deſideraretur aut induſtria, aut diligentia incolarum in colendis agris, & fructuoſis artibus exercendis. Si artificioſum eſt ea, quae ſunt ſcripta de inſtitutis rerum publicarum, ac de optimis legibus intelligere, atque ea ſic exponere, ut ab omnibus agnoſcantur, multo eſt artificioſius ea accommodare ad uniuscujuſque civitatis genus, &

videre quid tempora, quid locorum natura, & hominum mores aut recuſent, aut efflagitent. Utrumque ſic tenuit Filangierius, ut prudentioribus par eſſe poſſe judicaretur: par erat quoque ingenio voluntas, & fides, cum in conſiliis dandis nil ſpectaret aliud, quam publicum bonum. Cum paratus meditatuſque ad conſilium veniret, ſeu ſcripto, ſeu voce ſententiam ſuam exponeret, prudentiam cum eloquentia jungebat, quibus artibus praeſertim utebatur in peroranda indigentium cauſſa. Opprimi hos potentiorum avaritia ac ſuperbia pati non poterat, proque iis, dum in vita maneret, labores ac pericula libentiſſime ſemper ſe ſuſcepturum profitebatur. Non ſatis enim dici poteſt quantum natura formatus eſſet ad ſenſum humanitatis, quantumque in animo illius inſitum eſſet deſiderium reperiendae levationis malis, quibus humanum genus afflictatur. Hae virtutes gratiam Ferdinandi IV. nunquam ſibi neglectam, arctius in dies fovebant, nec ulli jam dubium erat, quin Filangierii opera multis magniſque in rebus esset uſurus. Noli autem putare hominem, qui ambitionem ex omnibus civitatibus tolli op-

taſſet, ſtudia cupiditateſque honorum unquam in ſe aluiſſe. Modeſtus & frugi vir erat, & qui ordo, & modus &, ut ita dicam, concentus rerum in illius ſcriptis apparet, inerat in illius animi affectibus, & vitae actionibus. Vel ab anno MDCCLXXXIII. duxerat ipſe in matrimonium Carolinam Frendel feminam in Pannonia natam, cuique Rex educationem commiſerat Aloyſiae filiae, qua nunc Etruria laetatur. Quae Filangierius ad ſpem felicitatis obtinendae graviſſima putabat, mores, ingenium, abunde erant in illa, & ipſe amando noverat, quare ſuam facere minime dubitavit, licet multos ſui conſilii diſſuaſores haberet. Profecto cum ipſa conjunctiſſime vixit, & quod uxoris & liberorum caritate (tres enim ex illa ſuſceperat) rerum graviſſimarum contemplatione, & ſolitudine praeſertim oblectabatur, ſaepe quaerebat ſeceſſus, ubi in ſinu familiae & litterarum vitam ſuaviſſime traduceret. Totos quatuor annos Cavae, qui locus Neapoli abeſt viginti quinque millia paſſuum, fuit, neque ab eo abſtrahi potuit niſi juſſu Regis, tum cum ad adminiſtrandas publicas res, ut diximus, vocatus fuit. Erant

amici, qui ſaepe illi inculcabant naturam ſolitarium nihil amare, ſemperque ad aliquid, tanquam adminiculum, adniti, ſed ipſe reſpondebat ſatis ſibi eſſe ſua in familia, ſuiſque in ſtudiis conquieſcere. Si parcius haec coluiſſet, porro valetudini ſuae melius conſuluiſſet; incidit enim in morbum, cui praeſertim cauſſam dediſſe medici judicarunt ſummi labores, animique contentiones, in quibus se exercuerat. Colice enim ſaepe affligabatur, & melancholia, qua ingenioſos omnes tentari ajebat Ariſtoteles. Cum corpore debilitaretur, animo tamen non cedebat, quod hic ſuſtentabatur cum recte factorum conſcientia, tum etiam uſurpatione & renovatione doctrinae. Aeſtate an. MDCCLXXXVIII. in Vicum Equenſem venit, ſperans ſibi melius fore ſaluberrimi caeli aſpiratione. Sed morti remedium reperire minime potuit, quam Chriſtiane eo in loco obivit XII. Kal. Sextiles. Funus miſerum & acerbum fuit, cum recordarentur omnes quantam in uno homine jacturam feciſſent familia, amici, patria, regnum, omniumque fere nationum populi. Rex autem, audito hujus repentini & graviſſimi caſus nuntio, palam di-

xit ſibi maxime dolendum eſſe, quod amiſe-rat hominem ſibi utiliſſimum, & quem ſemper fidelem, integrum, caſtum, & gravem cognoverat. Benigne fecit illius liberis, quod non erant abundantes. Parvo enim contentus pater magnitudinem ſemper animi in contemnendis honoribus, atque divitiis oſtendit. Cum vidiſſes hominem vacuum, ſolutum, liberum ab iis cupiditatibus, quibus plerique flagrant, in virtute exercenda, in animi ſecuritate tuenda, in religione colenda, in ſublevandis miſeris, in edocendis inſciis imperitiſque unice occupatum, hunc ne dubitaſſes beatum dicere? Neque illum tangebat ſapientiae fama, quamvis tot exantlaſſet labores ad illam adipiſcendam. Continens moderatio cupiditatum omnium, quam modeſtiam dicimus, vel in illius oculis apparebat. Vultus ſemper idem, vox, oratio ſuavis, aperta, nulloque erudita artificio ſimulationis; omnino in illius oculis, in illius ore vultuque egregia forma acquieviſſes. Ego vero cum omnia dicta factaque ejus mecum revolvo, & animi figuram magis quam corporis complector, illa Taciti de Agricola, mutatis nominibus, uſurpare ſo-

leo. *Quidquid ex Filangierio amavimus, quidquid mirati ſumus, manet manſurumque eſt in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum.* Nam multos veterum, quamvis praeclara tradiderint de republica bene adminiſtranda oblivio obruet, Filangierius poſteritati narratus & traditus, ſuperſtes erit.

OPERA EDITA

Riflessioni Politiche ſull' ultima legge Sovrana, che riguarda l' amminiſtrazione della giuſtizia. Napoli preſſo Michele Morelli 1774. in 8.

Scienza della Legislazione I. e II. Volume Napoli 1780. nella Stamperia Remondiana 1780. in 8. III. e IV. Volume 1783. V. VI. e VII. 1785. VIII. 1789. *Idem opus recuſum fuit Neapoli, Venetiis, Florentiae, Mediolani, & Cataniae. Galloiſius vertit ipſum Gallicam in linguam, Zinkius & Guſtermannius in Germanicam, & Jacobus Rubius in Hiſpanicam. Pagina me deficeret, ſi recenſere vellem praeconia, quae impertivere huic operi doctrina illuſtriores viri. Multa eorum habes in libro edito Neapoli* 1788. *qui inſcribitur*: Elogio Storico del Cav. Gaetano Filangieri ſcritto dall' Avvocato Tommaſi

Minime ſilentio praetereundum eſſe putamus, quaedam paraſſe Filangierium ad contexendum opus, quod inſcribere meditabatur; Nova Scienza delle Scienze. *Quid in eo ſibi propoſuerit, narrat his verbis Thomaſius*. L' oggetto di queſta nuova opera, *inquit ille*, era di ſcovrire il più che foſſe agli ſtretti limiti della umana intelligenza poſſibile, il neſſo e il legame delle verità, che a ciaſcuna ſcienza appartengono. Nell' impoſſi-

bilità di giungere fino al primo anello della gran catena del ſapere, onde partono le varie diramazioni coſtituenti le ſcienze diverſe, il Cavalier Filangieri ſi prometteva almeno di giungere a' primi anelli delle diverſe ſerie di verità, che a ciaſcuna diramazione appartengono; e per queſto mezzo sforzarſi di pervenire a' primi princip̄j di ciaſcheduna ſcienza. Intendeva inſomma di ſviluppare la metafiſica di tutte le ſcienze; di condurre tutte le verità particolari al principio il più generale: e di fare per tal modo di tutte le ſcienze una ſcienza ſola univerſale, e ſuperiore, guidando l' intendimento umano fino all' ultimo, ed eccelſo grado di ſapere, di cui ſia ſuſcettibile la ſua perfettibilità.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX VITARUM

Quae in hoc volumine XV. continentur

I.	*PAullus Segnerius*	pag. 8.
II.	*Antonius Maria Lupius*	32.
III.	*Antonius Maria Salvinius*	61.
IV.	*Joſephus Paschalis Cyrillus*	96.
V.	*Vincentius Maria Faſſinius*	129.
VI.	*Hieronymus Pompejus*	152.
VII.	*Joannes Caſtilioneus*	230.
VIII.	*Jacobus Martorellius*	255.
IX.	*Antonius Genuenſis*	278.
X.	*Cajetanus Filangierius*	339.

Digitized by Google

INDEX RERUM PRAECIPUARUM

QUAE IN HOC XV. VOLUMINE CONTINENTUR.

A

ABauzitius Firminus confutatus 136.
Academicorum ſententiae 241.
Adissonii Tragoedia 74.
Agneſia 225.
Agricultura colenda 305.
Albanus Card. 166.
Algarotti vita 243.
Alexander VII. 14.
. . . . . . Magnus, ejus ingreſſus Hieroſolyma 140.
Amiotus 174.
Anacharſis iter laudatum 27.
Andreſius Joannes 1.
Anſaldius Anſaldus 62.
. . . . . Caſtus Innocens 131.
Apocalypſeos auctoritas 136.
Apollonii Tyanaei vita 241.
Argentius Cajetanus 99.
Argonius Bonaventura 140.
Ateſtina Beatrix 180. 199.
Athei confutati 18.
Athenienſes Neapolim commigrant 263.
Ariſtoteles 331.
Averanius Benedictus 62. 87. 226.
Averni lacus 262.

B

BAllearinus Petrus 22.
Baptiſteria Chriſtianorum 38.
Baronius Card. 50.
Barthelemius laudatus 26.
Baſſia 225.
Beccaria 224.
Benedictus XIV. 286.
Benignus Orlandus 222.
Bernoullius Jo. 236.
Bertola Aurelius 188. 217.
Bevilaqua Hippol. 164.
Blountius Carolus 241.
Boccaccius 1. 88.
Bonarrotius Michael Angelus 62. 88.
. . . . . . Philippus 40. 77.
Bonfrizerius Franc. 61.
Borbonius Carolus 256. 258. 351.
. . . . Ferdinandus 176. 199. 149. 357. 358. 359.

Boſſuetius laudatus 67.
Brekmannus Henricus 76.
Brunchius Philippus 182. 183.
Brunopolis Dux 297.
Bucolici carminis natura 177
Buffonii error 235.
Buganvilius 183.

C

CAlamaria theca explicata 257.
Callimachi interpretatio 181. 204.
Calliroe Tragoedia 169.
Campebellius 238.
Canonicum jus 95.
Capaſſius Nicolaus 96. 98.
Capellus Franc. 164.
Carius Jo. 301.
Carolus Rex 106.
Caſtilioneus Jo. ejus vita 230.
. . . . Fridericus 244.
Cato Tragoedia 74.
Ceratarum tabularum uſus 258.
Ceſarottus Melchior 58. 173.
Ceva Thomas 79.
Chriſtianorum nomina 37. 133. Baptiſteria 37. ritus a Gentilibus ſumpti 28. 132. inſcriptiones 49.
Chriſtus quo tempore ortus 45.
Ciceronis Interpretatio 242. ejus de republica libri 331.
Cignaroli Joan. laudatio 203.
Claudius Gothus 48.
Clemens XIV. 241.
Clericus Joannes 76.
Coltellinius Aug. 64.
Commercium, quae ad illud conducant 302.
Concina Daniel 130. 133.
Coſmus III. 14.
Coſſalius Petrus 191.
Criminales leges ad quam dirigendae regulam 350
Cuiacius defenſus 99.
Cunichius Raimund. 181. 214.
Currus Jo. Bapt. 286.
Cyrillus Joſephus Paſchalis, ejus vita 96.

D

DAcerius 176.
Danielius Franciſcus 89.
Dantes 1. 88.
Datius Carolus 63.
Denina 243.
Diderotius 308.
Diodatus Dominicus 250.
Diomedes & Ulyſſes in gemma expreſſi 41.
Donatus 238.
Dragus Caſimirus laudatus 46.
Duccius Franciſcus Maria 76.
Duportius Jacobus 183.

E

EDucatio publica 353.
Eloquentia libertate gaudet 55.
Ereinorum Academia 45.
Etrusca dictio quam dives 72.
Eucharistiae uſus apud Graecos 132.
Eulerus 236. 239.
Evangeliorum Apoſtolica origo 136.

F

FAlchius Franc. 270.
Faſſinius Vincen. Maria, ejus vita 129.
Fridericus II. Boruſſorum Rex 239. 241. 242. 243.
Filangierius Cajetanus, ejus vita 339.
Flavii Joſephi interpretatio 184.
Florentini philoſophiae moralis cultores 332.
Fontana Franciſcus 147. 219.
Fontaninius Juſtus 79.
Forzonius Petr. And. 87.
Fratriae quae eſſent 263.
Freretius Nicolaus 125. 136.
Fuſchius Ant. 256.

G

GAllianus Caeleſtinus 285. 296.
Galileus 98.
Galliae status 125.
Gaza Theod. 172.
Gentilis Dominicus 99.
Genuenſis Antonius, ejus vita 278.
Geometriae utilitas 98.
Ghedinius 166.
Gherardinius Maurit. 186
Ginannius Franc. 134.
Glarea Vincentius 61.
Gonzaleſius Thyrsus 21.
Gorius Ant. Franciscus 38. 87.
Graeci quomodo imitandi 29. 252. 266. ſcriptores in Etruscam linguam converſi 72. 85.
Grandius Guido 62. 226. 231.
Grangius 224.
Gravina 99.
Grippa Joſeph 356.
Gruterus emendatus 261.
Gulientius Joan. 157.

H.

HAmelius 304.
Helena a Paride rapta 262
Herbertius 241.
Hertzbergius Comes 240.
Homeri apotheoſis 41. lau-

Digitized by Google

des 252. ejus ſchola 263. origo fabularum illius 264.
Humius 346.
Hypermneſtra Tragoedia 167.

I

JEsuitae 35 79. 131. 134. 315.
Innocentius XII. 19.
Intierius Bartholomaeus 298.
Italicae linguae origo, & vices 1. & ſeq. Italorum laus in litteris colendis 223. Academiae 224.
Iurisprudentia Rom. laudata 90. defenſa 104. a Neapolitanis quomodo culta 341.

L

LAmbertius 239.
Lamius Jo. 79.
Landia Roxana 217.
Lazzarinius Dominicus 79. 88.
Legislatio quomodo moderanda 303. 344.
Leibnitius 236.
Leopoldus M. E. D. 135. 142. 306.
Lexicon *della Crusca* 17. 71
Libanii epiſtolae 85.
Lilius Hieronymus 79.
Litterarum utilitas defensa 300. 306.
Logicae inſtitutiones 294. 310.
Lorentius Bart. 191. 203.
Lorgna Marius 192.
Lokius 238. 284.
S. Lodovicus Gallorum Rex 93.
Lupius Ant. Maria, ejus vita 32.

M

MAbilonius Joan. 66.
Machabaeorum librorum auctoritas 140.
Maciucca Michael 262. 265.
Maffaejus Scipio 156. 167.
Magliabechius Ant. 74. 78.
Maglius Paſchalis 323.
Malaſpina Marianna 168. 171.
Manfredius Gabriel 225.
Mariottus Steph. 160.
Martorellius Jacobus, ejus vita 255.
Mediceus Cosmus 333.
. . . . Laurentius 333.
. . Leopoldus Card. 63.
Meola Vincentius 269.
Merillius confutatus 99.
Metaphyſicae uſus & abuſus 270. ejus inſtitutiones 281. 311.
Meziriacus 174.

Michelius 77.
Michelcſius 243.
Monteſquiejus 336. 346.
Montfauconius 40. 76 37.
Moralis philoſophia quomodo tractata 313. 329.
Morgagnius 226.
Mormorajus Ant. 135.
Moschi interpretatio 165.
Mosconia Elisab. 189. 193. 208.
Muratorius Ludovicus 77. 88. 104.
Musschenbroekius 295.

N

Natalis Alexand. 136.
Nazianzenus Gregor. 77.
Neapolitanum jus expoſitum 106. Neapolitanorum antiquitates 260. origines & coloniae 262. fortuna 301. 318.
Newtoni arithmetica universalis 233. opuſcula 234.
Nogarola Andreas 199. 203.
Noriſius Card. 20.

O

Oppiani interpretatio
Orlandius Joſeph 295.
Ovidii interpretatio 184.

P

Paciaudius Paullus 179 182. 199.
Pagninius Joſeph 165.
Pallavicinius Sfortia Card. 14.
Pandectarum Hiſtoria 77.
Panormitanum Collegium 42.
Parthenope quid ſignificet 263.
Paternus 48.
Patutius 133.
Pedrottus Ant. 181. 189. 207. 216.
Pellegrina Thereſia 168.
Peſarus Franc. 54.
Pindemontius Hippolytus 147. 183. 188. 207.
Pius Sextus 115.
Platonica Academia 335.
Plutarchi vitarum interpretatio 172.
Polenius 226.
Politianus Angelus 3. 79.
Politus Alexander 88.
Pompejus Hieronymus, ejus vita 152.
Pontanus Jovianus 261.
Popi italica interpretatio 232.
Probabiliſmus confutatus & defenſus 21.
Pythagoras 287. 330.

R

Redius Franc. 66.
Religio quomodo moderanda 254.

Rinuccinius Alamannus 333.
Romanorum leges 91. Pontifices 93.
Roſcius Onuphrius 113.
Roſminius Carolus 215.
Roſſetius Donatus 162.
Rouſſojus confutatus 238. 306.
Rubeus Bern. 131.

S

SAlvinius Ant. Maria, ejus vita 61.
. . . . . . Salvinus 80.
Sanchezius de Luna 296.
Sandelius Dionyſius 131.
Saxonica Maria 200.
Sectanus Lucius 79.
Segnerius Paullus 4. ejus vita 8.
Serraus Aelius 101. 107.
Severae Martyris epitaphium illuſtratum 48. & ſeq.
Sicca Paulina 189.
Sigillarii qui eſſent 41.
Signoretius 232.
Socrates 329.
Spanhemius 77. 88.
Spinellius Card. 288.
Stormontius David 200.
Strada Famianus 9.
Straticus 135.
Struvius Burcardus 105.
Sybillae ludus 68.

T

TAnuccius Bernardus 101. 106. 315. 341.
Thamira Tragoedia 171.
Theocriti imitatio 164. 178. interpretatio 165.
Thomaſius Donatus 337.
Torellius Joſeph 157 201.
Tornius Julius 286.
Trincius Coſmus 304.
Triſſinius 78.
Tullius Britannus 304.

V

VAnettus Clementinus 215. 218.
Vallarſius Dominic. 157.
Veronenſium ingenium 203.
Verulamius Baco 344.
Verza Silvia 180. 189. 190
Vico Jo. Bapt. 97. 100.
Victorius Petrus 79.
Vilcecchius Joſeph 185.
Vinnius Arnoldus 105.
Virgilius Maro 177.
Vivianius Vincentius 62.
Vulpius Jo. Ant. 157.
Wolfius 85. 284.

Z

ZAccharia Franc. Ant. 41.
Zanottus Franc. 166.
Zinellius Andreas 206.
Zondedarius Ant. 124.

Pag. 85. *Quo loco recenſuimus ineditas Salvinii interpretationes addendum & illud videbatur multas harum extare Florentiae in Maruſcelliana Bibliotheca, magnique ſieri ceteras interi nterpretationem Aleſſandrae Lycophronis, quod per eam obſcuriſſimus ſcriptor magna ex parte illuſtretur.*

Pag. 87. *Quo loco recenſuimus ejus ſeparatim editas orationes, adde:*

Orazione funerale delle lodi di Antonio Magliabechi: Firenze preſſo il Guiducci e Franchi 1715. in fol.

Orazione Funebre in lode di Franeesco Redi. *Extat inter hujus opera.*

ERRATA CORRIGE

Pag. 3.	lin. 12.	extat	extet
71.	11.	apitissimus	aptissimus
78.	19	adjutum iret	adjuvarentur
110.	20.	quealem	qualem
114.	ult.	stranguaria	stranguria
123.	4.	exerasse	exarasse
129.	12.	Garibaldio	Gariboldio
130.	14	illus	illius
147.	1.	Pindemomtio	Pindemontio
ibid.	18.	plene	plane
148.	17.	videbor	videbar
149.	14.	ita	tua
178.	25.	retinent	retinet
185.	ult.	altera Philarmonicorum	*Deme haec.*
192.	9.	cumulte	cumulate
208.	12.	loculentissimum	luculentissimum
ibid.	21.	superasse	superesse
303.	3.	se	sed

234529 A

Digitized by Google

Digitized by Google